MISCELLANEE
A
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
ROMA

Digitized by Google

MISCELLANEE
A
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
ROMA

BIBLIO[TECA NAZIONALE CENTRALE VITTORIO EMANUELE]
ROMA
NAZIONALE
EMANUELE
A

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
36 A
27

DE FIGVRIS SENTENTIARVM, AC VERBO-RVM.

Catalogus Autorum ſequenti pagella continetur.

*

VIRTVTE DVCE, COMITE FORTVNA.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

APVD SEB. GRYPHIVM LVGDVNI, 1540.

INDEX EORVM, QVAE CONTINENTVR IN HOC OPVSCVLO.

P. RVTILII LVPI, *Rhetoris antiquiſſimi,* Libri II.

AQVILAE *Romani Liber Vnus.*

IVLII *Rufiniani de ijs quæ ab Aquila prætermiſſa erant, Libellus: & præterea eiuſdem* Libri II.

BEDAE *preſbyteri Angloſaxonis de Schematibus & tropis ſacrarum literarum. Lib. Vnus.*

PETRI *Moſellani Tabulæ de Schematibus & Tropis.*

Digitized by Google

P. RVTILII

LVPI DE FIGVRIS SENTENTIARUM Liber prior, ex Græco Gorgia uerſus.

PROSAPODOSIS. Hoc ſchema duobus modis fieri, & tractari poteſt. Nā ſententijs duabus, aut pluribus propoſitis, ſua cuiq; ratio uel poſterius reddetur, uel ſtatim ſub unaquaq; ſentētia ſubiungetur. Quibus poſterior ratio ſubinſertur, huiuſmodi ſunt. DEMOSTHENIS, Non enim pari ratione Philippus, atq; nos, diuerſis rebus medetur: ſed ille uſq; eò nititur, quoad reſtituat, atq; exuperet: nos contrà ſtatim uinci meditamur. Ille enim pro laude, ſicut pro patria, præliatur: nobis autem ſi nihil accedit mali, ſatis, ac nimium boni uidetur. Cum ſingulis ſententijs ſtatim ratio ſubiungitur hoc exemplo. DEMETRII PHALEREI, Nam quod beneficium tempore, & cupienti datur, gratum eſt. utilitas enim ac uoluntas accipiendi, honorem dati facit ampliorem. At quod ſero, & non deſideranti datur, ingratum eſt: amiſſo enim tempore utilitatis, cadit accipiendi cupiditas. Προσαπόδοσ

SYNATHROESMOS. Hoc & ſingulis uerbis, & plurium uerborum coniunctione fieri poteſt. Singulis uerbis hoc modo. CLEARCHI, Sed cum ad ſupplicium ſumendum ſe confirmaret, multa ſimul Συναθροισμὸ

eum reuocabant: officia, cõſuetudo, tempus, exiſtimatio, periculum, religio: quæ ſingula proprias ei cogitationes ad remorandũ ſubijciebãt. Item DEMOCHARIS, Nam quis hæc ſimul uniuerſa perpeti poßit, timorẽ, morbum, ſenectutem, cõtumeliam, inopiam, uim: quarũ quæuis una res, per ſe ſatis eſt grauis ad perferendum? Sed in coniunctione plurium uerborum huiuſmodi eſt LYCVRGI, Nemo enim nocens ſine ſummo mœrore eſt, Iudices. ſed multa ſimul eum perturbant. quod adeſt, ſolicitudinis plenum: quod futurum eſt, formidoloſum: lex paratum ſupplicium oſtentans, uitia ex uitijs coacta, occaſionem arguendi maleficij captans inimicus: quæ quotidiana uehementer eius animum excruciant.

Παρωνομασία. PARONOMASIA. Hoc, aut addenda, aut demenda, aut mutanda, aut porrigenda, aut cõtrahenda litera, aut ſyllaba fieri conſueuit: eſtq; huiuſmodi: Non enim decet hominem genere nobilem, mobilem uideri. nam cum omnibus hominibus, tum maximè maximo cuiq; incõſtantia turpitudini eſt. Item: Ad huius ſceleratißimi opera qui fuit locus? religioſißimus: nimirum quia traditam ſibi publicorum cuſtodiam ſacrorum non honori, ſed oneri eſſe exiſtimauit.

Παραδιαστολή. PARADIASTOLE, Hoc ſchema plures, aut duas res, quæ uidentur unam uim habere, diſiungit: & quantum diſtent, docet, ſuam cuiq; propriam ſententiam ſubiungendo. HYPERIDIS, Nam cum cæterorum opinionem fallere conaris, tu tete fruſtraris: non enim probas te pro aſtuto ſapientem intelligi: pro confidente, fortem: pro illiberali, diligentem rei familiaris:

pro ma

pro maleuolo, ſeuerum: nullum eſt enim uitium, quo uirtutis laude gloriari poßis. Hoc idem ſchema ſolet illuſtrius fieri, *cum ratio propoſito ſubiungitur. Id eſt huiuſmodi: Quapropter nolo te ſæpius parcum appellare, cum ſis auarus. Nam qui parcus eſt, utitur eo quod ſatis eſt: tu contrà, propter auaritiam, quò plus habes, magis eges. Ita non tam diligentiæ fructus, quàm inopiæ miſeria te conſequitur.*

ANACLASIS. Hoc *ſchema fieri ſolet, cum id quod ab altero dictum eſt, non in eam mentem quæ intelligitur, ſed in aliam aut contrariam excipitur.* Huiuſmodi eſt uulgare illud Proculeianum. Proculeius *cum filium ſuum moneret & hortaretur, audacter ex bonis ipſius ſumptum faceret quas in res uellet atq; opus eſſet, nec tum denique ſperaret libertatem licentiamq; utendi futuram, cum pater deceßiſſet, cui uiuo patre promiſſe omnia licerent:* Filius *reſpondit ſe non eſſe opus ſæpe eadem oratione moneri, nec ſe patris mortem expectare.* Cui Proculeius *pater ſubiecit, Imò oro, inquit, ut meam mortem expectes, nec properes moliri, ut uelocius moriar.* Plato *interrogatus quî reſpub. beata fieret, reſpōdiſſe dicitur:* Si *aut qui ſapiunt, imperare: aut qui imperant, ſapere diſcant.* Item Theophraſtus *dicitur dixiſſe,* Prudentis *eſſe officium, amicitiam probatam appetere, non appetitam probare.* Item Ariſtoteles *dicitur dixiſſe:* Eius *eſſe uitam beatißimam, cuius & fortunæ ſapientia, & ſapientiæ fortuna ſuppeditet.* Ἀνάκλασις.

EPIBOLE. Hoc *ſchema dupliciter fieri conſueuit, cum pluribus & diuiſis ſentētijs, aut unum, aut* Ἐπιβολή.

idem uerbum ſingulis præponitur: aut uarietas uerborũ, quæ tamẽ eandem uim inter ſe habeat. Quæ ab uno uerbo, ſæpiuſq; proficiſcuntur, ſunt huiuſmodi. LYCVRGI, *Nam cum iuuentus concitata temere arma caperet, & quietos Theſſalos manu laceſſere conaretur: iure ego ſenatum coëgi autoritate ſua comprimere adoleſcentium uiolentiam. Ego quæſtoribus interminatus ſum, ne ſumptum ſtipendio præberent. Ego armamentario patefacto reſtiti, atq; efferri arma prohibui. Itaq; mea unius opera compreßum, non concitatum bellum non neceſſarium ſcitis. Idem* HEGESIAE, *Miſeremini mei iudices, quem coniurata tanta uis inimicorum oppugnat. Miſeremini ſolitudinis, cui ne in ſummo quidẽ tempore periculi liberos adhibere ad communem calamitatem decernendam licitum eſt. Miſeremini ſenectutis, quæ me etiam ſine cæteris malis grauiter defatigat. Varietas uerborũ quæ eandẽ uim habet, huiuſmodi eſt.* DEMOSTHENIS, *Dolui uiri Athenienſes, ubi illum clandeſtinum hoſtẽ impunè intra murum uidi uagari: ægre tuli, quòd omnium ueſtrum facilitatem unius fallacia tentatam intellexi: commouit me, quòd in accipienda iniuria pleroſq; lætitiam oſtentantes cognoui.*

Ἐπιφορά. EPIPHORA. *Inter hoc ſchema, & ſuperius hoc intereſt, quòd in ſuperiore unum uerbum pluribus ſententijs anteponitur: in hoc autẽ omnium ſententiarũ unum atq; idem nouißimum uerbum.* SOSICRATIS, *Non enim alius quis eſt, cuius opera in has difficultates inciderim: ſed initio ad bellum ſuſcipiẽdũ nos primũ impulit Philippus. deinde in ipſo belli labore ac periculo,*

deſeruit nos Philippus. nouiſſimæ nūc calamitati noſtræ, proinde atq; culpæ, ſucceſſit idem Philippus.

COENOTES. *Hoc duorum ſuperiorum ſchematum coniunctionem habet: quòd & ab uno uerbo oẽs ſentẽtiæ incipiũt, & in uno nouiſſimè acquieſcũt.* Κοινότης.

STRATOCLIS, *Quæritis nouam rationem adminiſtrandæ Reipublicæ? at reperire meliorem quàm à maioribus accepiſtis, non poteſtis. Quæritis maximis ſumptibus faciendis, quomodo tributa ne conferatis? at conſilijs cœptis ærarij opes, quas cupitis, augere nõ poteſtis. Quæritis quemadmodum ſcelere contaminatis hominibus parcatis? at ignoſcendo nocentibus, innocentium ſalutem cuſtodire non poteſtis.*

POLYPTOTON. *Hoc ſchema ſolet complures ſententias alio atque alio modo, ut pronuntientur, efferre.* Πολύπτωτον. CLEOCHARIS, *Nam uehementer admiror Lacedæmonij, ſi præter hunc quenquam exiſtimatis eſſe, cui ob has cauſſas iure ſuccenſere debeatis: hic eſt enim qui nobis imploratam ſpem uictoriæ eſt pollicitus: hunc uos non ſolum in conſilio dando cæteris prępoſuiſtis: ſed etiam in conficiendo negotio principem præfeciſtis: huic omnium ueſtrum fortunas uniuerſi commiſiſtis. Ab hoc igitur uno priſtinæ pollicitationis, rerumq; geſtarũ rationem repoſcere debetis.* Item CHARISII, *Pater hic tuus nunc deniq; eſt, ut egeſtatem tuã debere alere uideatur? Patrem nunc appellas, quem prius egentem auxilio tuo ut alienum deſeruiſti? Patris tu filius es ad potiundas opes, cuius ad ſenectutem uiolandam crudeliſſimus hoſtis fuiſti? Nimirum nullo conſilio*

ſilios procreamus? nam maiorem partem ex illis doloris, & contumeliæ capimus.

Ἐπανάληψις. EPANALEPSIS. *Hoc ſchema fieri ſolet, cum id quod dictum ſemel eſt, quò grauius ſit, iteratur. Id interdum fit uno uerbo: interdum plurium uerborum coniunctione.* Verbum *ſic iteratur*. PYTHIAE, *Quid contra tot res tamq́; euidentes dicere potes* De*moſthenes? cognitum enim eſt te* Rempub. *uenalem habuiſſe, cognitum eſt.* Item HEGESIAE, *Sed inſtigabat multitudinis animum ad bellum inferendum cõcitatus iracundia furor: furor inquam, non ratio, ſine qua nihil unquam populus ex ſententia geſſit.* Sed *plurium uerborũ iteratio eſt huiuſmodi.* At *ego in his ærumnis amìcis ſum ſpoliatus omnibus* Iudices: *qui non quòd me odiſſent, ſed quòd inimicorum factionem pertimuiſſent, me in malis deſeruerunt.*

Διαφορά. DIAPHORA. *Hoc ſchema cum uerbum iteratum aliam ſententiam ſignificat, ac ſignificauit primò dictum.* Id *eſt huiuſmodi:* Hunc *tu frater, eiuſdem ſanguinis particeps, in hac fortuna deſerere potuiſti: cuius ærũnæ quemuis exterorum hominũ, modo hominem, commouere poſſent?* Item, In *uniuerſum mulierem, quid potius dicam, aut uerius quàm mulierem?*

Ἐπιπλοκή. EPIPLOCE. In *hoc ex prima ſententia, ſecunda oritur, ex ſecunda tertia, atq; ita deinceps cõplures.* Nam *quẽadmodum catenæ multi inter ſe circuli cõiuncti uinciuntur: ſic huius ſchematis utilitate complures ſententiæ inter ſe connexæ continentur.* LYSIAE, Conſtat *igitur* Iudices, Simonem *domo ſua, ab ſuis dijs penatibus, ui*

bus,ui cum ſumma iniuria eſſe exturbatum. Namus *Cheremenes cum hominibus armatis ad eum uenit: cum ueniſſet,ſine ulla religione domum eius expugnauit: expugnata ui domo,famuliam abſtraxit: abſtractam, tormentis omnibus excruciauit:cruciatam,uinxit:uinctam, in publi cum proiecit.opinor non ſuum ut maleficium tacitum lateret, ſed ut cum prætereuntes proſtratam famuliam uiderent,& à uicinis rem geſtam audirent, ſimul & oculis & auribus ſcelus illius uſurparent.* Item LYCVRGI, *At nihil mirum uidetur,quòd tam excelſum boni gradum homo ſummi laboris exceperit?* Nam *cui præſtò eſt ſua uoluntas, induſtrius ſit neceſſe eſt: induſtriam uerò, ſcientia conſequitur:ex ſcientia, copia & facultas ingenij naſcitur:ex qua facultate uera & facili, fœlicitas laudis oritur.* Neq; *enim temerè diligens ſtudiū uirtutis,fructus fortunæ fallit.*

POLYSYNTHETON. Hoc *ſchema efficitur cum ſententiæ multorum articulorum conuenienti copia continentur.* PYTHIAE, Ille *hunc pœna conſtrictum trahebat,hic autem uociferabatur: cōcurſus uerò non mediocris. Cum tandē omnes opitulari uellēt, ſed nemo auderet, neq; ibi magiſtratus aderat:nec circūſpiciētes, quò potiſſimum confugeremus, reperiebamus: ſed uno tempore nos & præſens & futurū malum perturbabat.* Nam *præſens tempus acerbitatis erat plenum: reliquum uerò timoris.* Item DIARCHAE, *Partim noſtri ſilebant, partim autem ingentem clamorem excitabant.* At *hi ſocij, præclara noſtra auxilia, neutrum poterant: neque enim conſtanti ſilentio, neq; forti* πολυσύνθετον.

 clamore

clamore ſtrenue quid agere conabantur. Huc accedebat ignauus tubæ ſtrepitus, qui nihil eorum mentes ad uirtutem excitabat.

Διάλυσις. DIALYSIS. Hoc ſchema cõtrarium eſt ſuperiori. Nam demptis omnibus articulis, ſentẽtiæ diuiſæ pronuntiantur. DAPHNIS, Quid autem me cõuẽnit facere Byzantij? ſubire publicæ cauſæ iudiciũ, magno nomini aduerſariorũ fortiter reſiſtere, non uereri periculũ, diligenter poſteritatis* creſcere, non minas extimeſcere, conſtanter in cauſa pro uobis perſeuerare? omnia feci, ueſtrum commune commodũ ſpectans: tamen nõ deſunt qui ex tantis meis officijs aliquid uelint uituperare. Item LYSIAE, Omnibus in rebus ſuam confidentiam oſtentabat. debitum petebamus? non diſſoluebat. minabamur? contemnebat. lex nihil ualebat: magiſtratus negligebat. Venit hoc tamen nobis nouiſſimè tempus ulciſcendi.

Μετάνοια. METANOEA. Hoc ſchema fieri ſolet, cũ ipſe, qui loquitur, reprehendit: & id quod prius dixit, poſteriori ſententia commutat, ita uti facit DEMOSTHENES, Nũc quoniã de me ut uolui cognoſtis, iudiciũ per ipſius uitia conſtituã. Nã dũ opus eſt, parẽtes appellat, quos ſcitis non ignotos fuiſſe, ſed huiuſmodi, ut omnes hos execrarẽtur. Sed hic bonus uir, grandis natu, atque ſero: ſero loquor? imò uerò nuper, atque his paucis diebus, ſimul & Athenienſis, & eloquens eſt factus.

Item, At hic omnium ſceleratiſſimus, nouo more atq; exemplo alieni facinoris uindex, ipſe confidentiſſimè non criminibus, ſed armis reum laceſſere conatus. conatus? nimium remiſſè loquor. Nam qui tantam cædem perfecerit:

huiuſmodi

huiuſmodi incepti duntaxat arguere, penè maleficij largitionem eſt facere.

PARENTHESIS. *Cum in continenti ſententia aliquid interponitur, quod neque eius ſit ſententiæ: neque omnino alienũ ab ea ſententia: tum deniq; hoc ſchema efficitur: ſed periculoſe ponitur: nam aut mirè ineptum, aut uehementer iucundũ auribus accedere conſueuit.* DEMOSTHENIS, *Nos ſcilicet oẽs (ut fit) ferè repentino nuntio perturbati obſtupuimus: Adimanthus autem ſolus (nam eſt homo multum uehemẽs, & in Reipub. commodis ſatis liber) magno clamore efflagitabat, ut ſenatus haberetur: &, prout tempus poſtulabat, celeriter quod opus eſſet conſtitueretur.* Eiuſdem, *Audieram appropinquare, cum ſtatim magiſtratum certiorem feci. uos* Dij *immortales, quorũ eſt in templo geſtum, teſtificor: illi neglexerunt: & rem tantam differre maluerunt: cum interea ſubito portas hoſtis obſedit.* Παρένθ

MERISMOS. Hoc *ſchema ſingulas res ſeparatim diſponendo, & ſuum cuiq; proprium tribuendo, magnam efficere utilitatem, & illuſtrem conſueuit.* LYCURGI, *Cuius omnes corporis partes ad nequitiã ſunt appoſitiſſimæ: oculi ad petulantem laſciuiã, manus ad rapinam, uenter ad auiditatem: uirilis naturæ membra, quæ non poſſumus honeſtè appellare, ad omne genus corruptelæ: pes ad fugã. prorſus ut aut ex hoc uitia, aut ipſe ex uitijs ortus uideatur.* Itẽ ARISTOTELIS, *Alexãdro enim* Macedoni *neq; in deliberãdo cõſiliũ, neq; in prœliãdo uirtus, neq; in beneficio benignitas deerat: ſed dũtaxat in ſupplicio crudelitas.* Nã *cũ aliqua* Μερισμ

res

res dubia accidiſſet, apparebat ſapientißimus: cum autem confligendũ eſſet cum hoſtibus, fortißimus: cum uerò præmium dignis tribuendum, liberalißimus: at cum animaduertendum, clementißimus.

Παρομολογία. PAROMOLOGIA. Hoc *ſchema fit, cum aliquot res aduerſario concedimus: deinde aliquid inferimus, quod aut maius ſit quàm ſuperiora: aut etiam omnia quæ poſuimus, infirmet.* HYPERIDIS, *Sume hoc ab iudicibus noſtra uoluntate: neminem illi propiorem cognatũ, quàm te fuiſſe cõcedimus: officia tua nonnulla in illum extitiſſe: ſtipendia uos unà feciſſe aliquandiu, nemo negat. Sed quid contra teſtamentum dicis, in quo ſcriptus hic eſt? Item eiuſdem: Quid à me ſæpius his uerbis de meo officio requiris? ſcripſiſti ut ſeruis libertas daretur: ſcripſiſti ne liberi ſeruitutem experirentur: ſcripſiſti ut exules reſtituerentur: ſcripſiſti ut ne quis exilio afficeretur. leges igitur quæ prohibebant hæc, nõ negligebas? Non poteram, propterea quòd literis earum arma Macedonum oppoſita obſiſtebant.*

Ἀναγκαῖον. ANANCAEON. Hoc *ſchema tunc prodeſt, atq; omnis eius utilitas in eo eſt, cum uolumus oſtendere neceßitudinem aut naturæ, aut temporis, aut alicuius perſonæ: quemadmodũ fecit* MYRON, *Amicus meus fuit Chæremonides, & opinione omnium magis familiaris: & pro ſalute eius, quæcunque potui, feci: ſed poſtea quàm maior uis legis noſtrum auxilium ab illius periculo remouit: calamitatis ac luctus eius particeps eram: nam opitulãdi facultas omnis erepta iam fuerat.* Itẽ DEMOCHARIS, *Nihil enim ualebat aßidua pro fratre, ac*

miſericors

miſericors deprecatio, cum iudicaret tyrannus: cuius cru delitas omnem naturæ neceſſitudinem extinguebat.

ETHOLOGIA. LYSIAE, *Rure rediens Iudices, homo maior natu, magno calore, uix ſuffe-rens uiæ moleſtiam, tamen his uerbis egomet me conſo-lor, Fer fortiter demum laborem: iam breui domum ue-nies expectatus: excipiet te defatigatum diligens, atque amans uxor: ea ſedulo ac blandè præminiſtrando detra-het languorem, & ſimul ſeniles nutriendo recuperabit uires. Hæc me in itinere cogitatio propè confectum con-firmabat. Poſtea uerò, cum domum ueni, nihil earum re-rum inueni: ſed potius bellum inteſtinum ab uxore con-tra me comparatum.* Item DEMOSTHENIS, *At mediusfidius Iudices, ego ſic arbitrabar; filium ad patrẽ diſſoluto uultu uenturum, lacrymis patrium ſinum op-pleturum, ſupplicem precaturum, obſecraturum: blandi-tia ſua, quod petiſſet, à patris mollitie impetra-turum. ſed hic longè aliter: nanq; incredi-bili confidentia armatus, ad pa-trem aduolauit ſicut hoſtis: atque initium ſermo-nis cum iur-gio ſum-pſit.* Ἠθολογία.

P. Rutilij

P. RVTILII LVPI
DE FIGVRIS ELOCV- tionis Liber ſecundus.

Σχήματα ξεως.

μετάβασις. METABASIS. Hoc ſchema duobus modis fieri ſolet. Ex quibus unum genus eſt eiuſmodi: cũ ab ea ſententia quã propoſuimus, conuertimur ad aliquam perſonam, aut rem, aut fortunã, & tanquam præſentem appellamus: ita ut is fecit, MYRON, Hæc mulier nuper fuit locuples, potens in amore atq; delicijs neceſſariorum: ornatus eius opibus abũdabat: magnus ancillarum quæ ſequebantur, comitatus appellabatur. nunc contrà ſubito & graui caſu afflicta, uix mediocris ancillulæ dignitatem retinet. O fortuna, quàm uehementer te rerum uarietas oblectat: & quàm magno odio eſt tibi beatæ uitæ perpetuus, & conſtans fructus? Alterũ genus eſt, cum ad id quod demõſtrare inſtituimus, ab alia re & actionem & orationem noſtram reuocamus. DEMOSTHENES, Sed nimirum inopinans incidi in cauſam temporis huius alienã, de qua poſterius dicendum. Quapropter ad illud, quod paulò prius agendum, reuertor.

Ἀλλοίωσις. ALLOEOSIS. In hoc ſchemate diuiſio & ſeparatio eſt perſonarum: aut etiã rerum demonſtratio quantum interſit. HEGESIAE, Diuerſa ſtudia adoleſcentiũ animũ aduerteramus, tametſi fratres erant, uno atq; eodem ſanguine orti: alter in ſtudio laudis uerſabatur, & induſtria uirtutis, uitam glorioſam ſed laborioſam ſequebatur: alter in augenda pecunia occupatus,

& ha

& habendi cupiditate deprauatus, ſummas diuitias ſummam uirtutem exiſtimabat. Hic nimirū magis erat laborioſus, qui laborem, condendi, non utendi cauſa ſuſcipiebat. Item HYPERIDIS, *Non enim ſimile eſt uiuere in æqua ciuitate, ubi ius legibus uallatur: & deuenire ſub unius tyranni imperium, ubi ſingularis libido dominatur. ſed neceſſe eſt aut legibus fretum, meminiſſe libertatis: aut unius poteſtati traditum, cottidianam commentari ſeruitutem.*

DICAEOLOGIA. *Hoc ſchema fieri ſolet, cum æquitatem cauſæ quàm maximè breui ſentētia complectimur.* Id eſt huiuſmodi: *Quòd ſi me reprehendis, cum homo adoleſcens lapſus ſim, uehementer erras, qui quid natura ualeat, ignoras: acerbusq; et iniquus es, qui quod æqualiter omnibus putes ignoſcendum, uni imputas, & in uno arbitraris uindicandum.* Item LYSIAE, *Nam ego huic Iudices, quicquid ad ſuperius tempus attinet, nihil ſuccenſeo: nihil enim deliquiſſe cognoui: ſed in hoc nouiſſimo facto, cum plenum malitiæ perfidiæq; inuenirem, merito reprehendere, atque odiſſe cœpi. Quæritis fortaſſe quid acciderit cauſæ, quamobrem eūdem & laudem, & uituperem? quòd idem commutata uoluntate non eſt qui fuerat: neq; idem nunc de ſe audire debet, quod prius conſueuerat, cum ſine noxa ſe gerebat. Non arbitratus es igitur rurſus eum reuerſurum ad officium, atque amicum tibi futurum? Quo modo? quem ſciam tantum facinus in ſe admiſiſſe, ut in reliquum tempus neque officio locum, neque beneuolentiæ ſpem relinqueret?* Δικαιολογ

Prolepſis.

Πρόληψις. PROLEPSIS. Hoc ſchema eſt, cum id quod aut in aduerſarij cauſa, aut in iudicis opinione eſſe aut fore arbitramur contrarium nobis, præoccupamus dicere, & cum ratione diſſoluere. DEMOSTHENIS, Atqui ego illum Iudices arbitror Lycurgum laudatorē producturum, ſcilicet qui ſit teſtis eius pudori ac probitati. ſed ego Lycurgum uobis præſentibus hoc unum interrogabo, uelit'ne ſe ſimilem eſſe illius factis, & moribus. Quod ſi negarit, ſatisfactum uobis eſſe de ueritate noſtra debebit. LYSIAE, Hac oratione ſæpius apud me utebatur, & orabat ut ſuarum ærumnarum miſererer, inopiæq; ſubuenirem. Quid multa? commotus humaniter precibus, deprecanti quod petebat dedi, ſolus ſoli, cum omnibus ignota calamitas hominis eſſet. Sed impacatus ueniſſe uidebitur, iam ſe negabit accepiſſe: & flens uobis ſupplicabit, ut ſe à calumniatoribus eripiatis. Vos autem cum ſic agentem uideritis, facitote ut & illius & mei memineritis.

Ὁρισμός. HORISMOS. Hoc ſchema fit, cum definimus aliquam rem noſtræ cauſæ ad utilitatem, neq; tamen contra communē opinionem. Id eſt huiuſmodi: Nam uirtutis labor, uera uoluptatis exercitatio eſt. Sed fieri ſolet hoc ſchema nonnunquam ratione ſuppoſita, tum deniq; magis illuſtratur, ita ut fecit*diues auarus. In uilla ædem fecit Fortunæ. Crimen arguitur temeritate illius, quæ tam locupletis copias dederit ei qui odiſſet uti.

Προσωποποιία. PROSOPOPOEIA. Hoc fit, cum perſonas ijs rebus conſtituimus, quæ ſine perſonis fiunt: aut eorum hominum qui fuerunt, tanquam uiuorum & præſen

præſentium actionẽ ac ſermonem deformamus. Id eſt *hu=iuſmodi*: N*am cum crudelitatis mater eſt auaritia, tum pater furor. ea huic facinori coniuncta, parit odium, inde item naſcitur exitium.* Hoc *genere uſi ſunt poëtæ, qui fabulas ſcripſerunt, in prologis.* N*am humana figura produxerunt perſonas, quæ in ueritate artis, & uoluntatis ſunt, non perſonæ.* Alterum *genus eſt, ita ut fecit* HYPERIDES, *cum de adoleſcente impudico diceret: Quid ſi tandem* I*udices apud ipſam naturam hanc cauſam ageremus? ac quæ ita diuiſit muliebrem uirilemq́; perſonam, ut ſuum cuique opus atque officium diſtribueret: ei ego hunc oſtenderem muliebri ritu eſſe ſuo corpore abuſum? non'ne uehementiſsime admiraretur, ſi quiſquam nõ gratiſsimum munus arbitraretur, uirum ſe natum: ſed deprauato naturæ beneficio in mulierem conuertere ſe properaſſet?* Item CHARISII, Exiſtimate *quæſo* Remp. *hic adeſſe, & pro ueſtra libertate ſupplicẽ uobis accedere: ſimul & liberos ueſtros, & matres familiâs amplexam tenere: parentes ueſtros ætate cõfectos ad ſe applicare: redigere uos in memoriam, qualem ſe à maioribus acceperitis: obſecrare pro ſacris, ac delubris deorum immortalium, pro parentum monumentis, pro uobis ipſis & ſalute ueſtra. Hæc ſi præſens ageret, ut dixi,* Reſp. *quid animi eſſetis habituri, quæro.*

CHRESTERISMOS. Q*uemadmodum pictor coloribus figuras deſcribit: ſic orator hoc ſchemate aut uitas, aut uirtutes eorum de quibus loquitur, deformat.* LYCONIS, Q*uid in hoc arbitrer bonæ ſpei reliquum reſidere, qui omne uitæ tempus una, ac de=* Χρηστηρισμός.

ſperatiſsima conſuetudine produxit? Namſimul atq; ex primis horis diei, nimia cibi ac uini ſatietate, uix meridiano tēpore, plenus crapula eſt experrectus: primū oculis mero madidis, humore obcæcatis, uiſu grauidis, lucem conſtanter intueri non poteſt: deinde confectis uiribus, utpote cuius uenæ non ſanguine, ſed uino ſunt repletæ, ſe ipſe erigere non ualet: tandem duobus innixus languidus, qui cubando ſit defatigatus, tunicatus ſine pallio, ſoleatus præ lectulo, palliolo frigus à capite defendēs, flexa ceruice, ſummiſsis genibus, colore exangui, protinus ex cubiculari lectulo excitatus, in triclinium trahitur: ibi præſtò ſunt cotidiani pauci eodem ſtudio excitati conuiuæ. hic uero princeps paulum illud, reliquum quod habet mentis ac ſenſus, poculis extrudere feſtinat, & eos bibendo prouocat, & laceſsit perinde ac ſi in hoſtium prælio quàm plurimos ſuperarit, atq; adflixerit, ampliſsimam ſibi uictoriam paratam exiſtimans. Interea procedit ſimul & illud tempus, & potatio: oculi uinum lacrymantes caligant, ebrioſum ipſi uix ebrij cognoſcunt: alius ſine cauſſa iurgio proximum laceſsit: alius ſomno deditus, ui cogitur uigilare: alius rixari parat: alium turbas uitantem, ac domum reuerti cupientem retinet ianitor, pulſat, exire prohibet domum, interdictum demonſtrans. Interim alium contumelioſe extra ianuam eiectum, uacillantem puer ſuſtentat, ac ducit pallium per lutum trahentem. Nouiſsimè ſolus in triclinio relictus, non prius poculum ex manibus emittit, quàm ſomnus oppreſſit bibentem, ac diſſolutis artubus, ipſum poculum ſuapte natura dormienti excidit.

BRACHYEPIA. *Hoc ſchema fieri ſolet, cum orator breuitate ſententiæ præcedit auditoris expectationem.* LYSIAE, *Quæres à me, quo iure obtinere poßim, quo iure mihi Polienus reliquit, quo iure prætor dedit poſſeßionem. Leges me defendunt, ad te non pertinent: hi ueritatem ſequantur. Item eiuſdem, Sed uos æquum eſt uoluntatem diſpicere. Nam conſilio noluit, fortuna lapſus eſt: homo fuit, fatetur: concedendum non omnia poſſe: hoc enim deorum eſt proprium.* Βραχυεπεία.

SYNOECIOSIS. *Hoc ſchema docet diuerſas res coniungere, & communi opinioni cum ratione aduerſari: & habet magnam uim uel ex laude uitiũ, uel ex uitio laudem exprimendi.* HYPERIDIS, *Nam hominis auari, atque aſoti unum atque idem uitium eſt: uterque enim neſcit uti: atque utrique pecunia dedecori eſt. Quare merito utrique pari pœna afficiuntur, quos pariter non decet habere. Item* LYSIAE, *Quapropter pergam: in multos largitionem, abſtinentiæ teſtimonium non credideris: multo enim confidentius hoc genus hominum furatur: nam quo magis eget ad ſumptũ ambitionis, audacius facit rapinã, ut huic ipſi ambitioni copia ſuppeditare poßit. Item* DEMOSTHENIS, *Cum ei quidã obieciſſet, matre Scytha natum, reſpondit, Non miraris igitur, quòd Scytha matre barbara natus, tam bonus & clemẽs euaſerit? Item eiuſdẽ, At ego hunc propterea malum eſſe exiſtimo, quia nimium ſe gerit ſeuere: namq; ex hominibus humanitatẽ ac miſericordiam tollere, maximum ſignum maliciæ uidetur. Ego cõtrà deos precor: nanq; eiuſmodi ciuem habemus, qui ad* Συνοικείωσις.

ſupplicium ſumendum in omnes partes ſit inexorabilis.

Ἀπορία. APORIA. Hoc ſchema efficitur, cum quærimus quid aut quemadmodũ pro rei dignitate dicamus: nec reperire nos oſtendimus. LYSIAE, Nec iam rationem inuenimus, qua flecti poſſe ſperemus: ita nos omnibus modis tentatos, acerba, ac nimium tuta facultas affligit. Item HEGESIAE, Non hæc eſt, ut uulgari uerbo appellatur, calamitas. quid igitur? quod proprium imponam neſcio: niſi illud unum, tantam eſſe ærumnæ magnitudinem, ut omnem fortunæ acerbiſsimæ crudelitatem ingenij miſeria ſuperarit.

Παρασιώπησις. PARASIOPESIS. Hoc ſchema eſt, cum aliquid nos reticere dicimus, & tamen tacitum intelligitur. Et hoc utendum eſt, cum aut notam rem eſſe auditoribus arbitramur, aut ſuſpicionẽ excitare maiorem reticendo poſsimus. LYCVRGI, In præſentia iudices iniuſsu populi quæ improbiſsime geſſerit reticebo: de falſis eius literis, quas ad ſenatum miſerit, nihil dicam: quæ illi ſæpe interminati ſitis, omittam. nam & hæc uobis nota ſunt: & quæ nouiſsime multò indigniora cõmiſit, quàmprimum cognoſcenda. HYPERIDIS, Cogis me iniuriæ tuæ cauſam proferre: nihil agis, non dicam: ſed ipſum tempus eam patefaciet.

Παρόμοιον. PAROMOEON. Hoc ſchema, & Homœoteleuton, & Homœoptoton ferè non multum inter ſe diſtant: tamen quid interſit, & ex uniuſcuiuſq; ſuppoſita ſententia cognoſcere poteris: & multò diligentius ex Græco Gorgiæ libro, ubi pluribus uniuſcuiuſq; ratio redditur. PAROMOEON, hoc uerborũ efficit ſimilitudinem

dinem, ita uti hoc eſt: Nam diſputandi, aut ſuadendi eſt aliud idoneum tempus. cũ quidem aduerſarius armatus præſto eſt: reſiſtendum eſt huic, non uerbis, ſed armis.

HOMOEOPTOTON. *Hoc in duobus uerbis eundem habet caſum, aut eandem nouiſſimam ſyllabam. Id eſt huiuſmodi, In rebus aduerſis cui præſtò eſt conſilium, non poteſt deeſſe auxilium. Item* SOSICRATIS, *Nam qui ſecundis rebus libenter adſentiuntur, ijdem ſimul ac ſe fortuna contriſtauerit, primi inſidiantur.* ὁμοιόπτωτον.

HOMOEOTELEVTON. *Hoc minus cuidens eſt, quàm ſuperius, & minorẽ affert auribus iucunditatem. Nam neq; tam paria duo uerba ſunt: neq; eundem habent caſum, & ſonũ uocis, quam Græci* προσῳδίαν *appellant. Id eſt huiuſmodi, Nam Reſpub. noſtra ad hunc ſtatum gloriæ peruenit, non multitudine hominum, ſed ſeueritate legum.* ὁμοιοτέλευτον.

ISOCOLON. *Hoc autem duabus aut pluribus ſententijs breuibus, & inter ſe paribus exigitur: ita uti hoc eſt, Nequaquam mihi diues eſt, quamuis multa poſſideat, qui neq; finem habet cupiendi, neq; modum ſtatuit utendi. Nam & multum deſiderare, egentis eſt ſignum: & nihil parcere, egeſtatis eſt initium. Seorſum eſt, beneficium dare libenter, & iniuriã facere nolle. Nam dando beneficium, extemplo beneuolentiam acquirimus: non faciendo iniuriam, duntaxat odium uitamus.* ἰσόκωλον.

ANTITHETON. *Hoc pluribus modis fieri ſolet, & habet in omni genere orationis ſummam utilitatem. Quare ſeparatim demonſtrandũ eſt de uno-* Ἀντίθετον.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quoque genere eius. Vnum eſt, cum contrariæ res inter ſe conferuntur. CHARISII, *Alter eorum erat in dando benignus, alter erat in accipiendo aſtutus: hunc omnes conquirebant: illum uitabant, ne ab eo uiderentur. huius enim pudor erat omnibus iucundus: illius autem impudentia ipſi ſuauis, cæteris amara.* Hoc idem *fieri poteſt in una perſona, ita uti fecit* Dinarchus,*cum ipſe de ſe diceret,* Olim *in adoleſcentia ſedulo omnem gloriam ſectabar: at nunc in ſenectute ſummum me ambitionum inuaſit odium. tum facilè multis opitulabar: nũc iam meipſum tueri uix poßum. tum mihi beatißimus uidebar, ſi quàmplurimis bene feciſſem: nunc contrà uereor, ne quid mihi deſit ad neceſſarium ætatis meæ cultum: tunc ego ipſe pro* Repub. *fortiter arma capiebam: nunc præter quàm laudare eos qui* Rempub. *armati defendunt, nihil ualeo.* Eſt *etiam genus huius, quod in eadem ſententia, priori uerbo contrarium quod eſt, infert & coniungere ſolet.* ISIDORI, Non *ille ſtultitia, aut furore impulſus tam graues labores fruſtra ſubiret: ſed ex acerbitate laboris, iucundos uoluptatis fructus ſibi parabat.* Aliud *eſt item, quod ſuperiorem infert, ſed conſequenter ſententiam, ita uti fecit* Demetrius Phalereus. N*obis primum dij immortales fruges dederunt: nos quod ſoli accepimus, per omnes terras diſtribuimus.* N*obis maiores noſtri* Rempub. *reliquerunt: nos etiam ſocios noſtros de ſeruitute eripuimus.* I*taq; & amplißimus nobis honos ab omnibus habetur: & propter huius honoris dignitatem, ſuperbiæ noſtræ nemo ueſtigium experitur.*

Epitro

EPITROPE. Hoc ſchema fieri ſolet, cum alicui rei uehementer confidimus, & noſtro iure iudicibus largimur, ut quemadmodum uidetur illis, cõſtituant, atq; ei pareamus. HYPERIDIS, Sed ego iam Iudices ſummum ac legitimum, quod expoſui, meæ cauſæ ius omitto: uobis quod æquiſsimum uideatur, ut conſtituatis, permitto. non enim uereor, quin etiam ſi nouum ſit uobis inſtituendum, libenter id quod poſtulo, propter utilitatem communis conſuetudinis ſequamini. Ἐπιτροπή.

PARRHESIA. Ferè contrarium eſt hoc ſchema ſuperiori. nam in hoc uehementer cum iudice agendum eſt, & uitium aut erratum eius audacter coram eo reprehendendum: ſed diligenter hoc faciendum, & rarò diſsimulandum eſt inuitos neceſſario dicere: ne magis confidentia, quàm dolore excitati uideamur: atq; ita non fides, ſed odium iudicum conſequatur. DEMOSTHENIS, Sed ego liberam uocem ueritatis apud uos omittã? non inquam, nec reticebo quod ſalus cõmunis dicit. Flagitat ueſtram operam, uiri Athenienſes: in tanto Reſpub. periculo eſt. uos enim decepti eſtis temere omnibus credendo: & quorum ignauiſsima ſunt conſilia, eorum ſententias utiliſsimas exiſtimando. Item LYCVRGI, Sed uos Iudices, uos hæc facere debetis. Nam cũ in ſententijs ferundis nocentibus remiſsionem paratis, uos improborum ſtudia ad peccandum excitatis. Παῤῥησία.

AETIOLOGIA. Hoc ſchema efficitur ratione breui & ſententioſa, ita ut quod dubium eſt uiſum, ad certam fidem adduci uideatur. Idem: Quòd uobis Viri Athenienſes, in ſuadendo aſſentiuntur, uos fallere poſcunt, Αἰτιολογία.

poſcunt. nam dictum ad uoluntatem auditoris obſcurat omnem utilitatis inquiſitionem. Sed ab ijs qui ſuadent quod uobis iniucundum eſt, decipi non poteſtis: nõ enim ſententias ueſtras ualent commutare, niſi uobis euidens bonum ſui conſilij pateſecerint. Item aliud eiuſdem, Etſi acerbum uobis quod dicturus ſum, uidebitur: tamẽ æquo animo audiendum eſt. nam ferè uerum conſilium, quod initio auditu graue eſt, in poſterum cognita utilitate fit iucundum.

Τάξις. TAXIS. *Hoc ſchema fit, cum unaquæq; res nouiſſimorum uerborum ſententia clare diſtinguitur.* STRATOCLIS, *Nam uehementer eorũ uitijs inuehi non licebat: reticere omnino non expediebat: ſuſpicioſe loqui potiſſimum placebat.* Item TIMARCHI, *Itaque ut familiares uidebantur, hos neceſſitudine opitulandi aſtrinxit, hosq́; ignotos iuſta beneuolentiæ cauſa illexit.*

FINIS.

ROMANI

AQVILAE DE NOMInibus Figurarum & exemplis Liber. ex Alexandro Numenio.

RHETORICOS petis, longioris moræ, ac diligentiæ, quàm pro anguſtijs temporis, quo me profectio urget: ideoq; poſtea plenum hoc tibi munus reddemus. In præſenti autem nomina ipſarũ figurarum cum exemplis percurriſſe ſufficiat: tantùm prælocutus, quo maximè orator ab oratore differat, unum hoc eſſe, aut certe præcipuũ, figuras ſententiarũ atq; elocutionũ. Nam inuẽtio rerũ, cum acutis hominibus, quos tamẽ oratores nõdũ appellare poßis, cõmunis eſt illorũ: uerborũ Latinorum ſcientiã & uſum uel grammaticus ſibi uẽdicaret. Illi quoq; mores, qui τρόποι nominantur, ab eadem hac arte, id eſt grãmatica, non minus diligenter ſunt cogniti, quàm ab oratore: etſi quatenus cuiq; generi materiæ adhibere eos debeat, orator melius intelligit. Figurandarũ ſententiarũ, & elocutionũ proprium oratoris munus eſt. hoc enim genere & parua extollit, & anguſta dilatat, & cum celeritate affert ornatum plerisq;, & uim, & pondus uerbis ac ſententijs: ad permouendos quidem animos auditoris, aut iudicis, nihil æquale eſt. Quod ſic facilime intelligatur, ſi quæ ſunt figurate enuntiata apud magnos oratores, detractis figuris

Tropi.

Oratoris proprium.

eloqui uelis. inuenientur enim nequaquam dignitatem, aut uim eandem retinentia. Sed figurarum, ſicut ſuprà diximus, aliæ ſunt ſententiarum, quæ διανοίας σχήματα appellant: aliæ elocutionis, quæ λέξεως σχήματα uocantur. Percurramus igitur ſententiarum figuras: naturæ eſt enim prius ſentire, quàm eloqui.

[...]træ dupli-

FIGVRAE SENTENTIARVM.

προδιόρθωσις. PRODIORTHOSIS, præcedens correctio. Hæc figura, ubi aliquid neceſſarium dictu, & inſuaue audientibus, aut odioſum nobis dicturi ſumus, præmunit. Exemplum apud Ciceronem frequens: Quanquam ſentio, quanta hoc cum offenſione dicturus ſim, dicendum eſt.

[...]πολογία. *Deeſt hic quippiam.

Tale pro Gallio de conuiuio luxurioſo, Vt clamor, ut conuitiū mulierum, ut ſymphoniæ cantus: uidebar mihi uidere alios intrantes, alios autem exeuntes: partim ex uino uacillantes, partim heſterna potatione oſcitantes. Verſabatur inter hos Gallius unguentis oblitus, redimitus coronis. Humus erat lutulenta uino, coronis languidulis & ſpinis cooperta piſcium. Quòd ſi hoc ipſum eſſe aliqui diatypoſin, hoc eſt deſcriptionem uolunt: intelligāt nos non de uniuerſo loco, ſed de executione ſingularum rerum loqui: quas ita perſecutus eſt, ut etiam minima quæq; demonſtraret.

Proſo

PROSOPOPOEIA eſt perſonæ confictio. Hæc figura plurimum in ſe continet dignitatis, cum Remp. ipſam loquentẽ inducimus, aut defunctos aliquos quaſi excitamus ab inferis, & in conſpectu iudicis collocantes, oratione hos circũdamus. Talis eſt illa pro Cælio Appij Cæci perſona inducta contra Clodiam ita dicens: Mulier quid tibi cum Cælio? quid cũ homine adoleſcentulo? quid cũ alieno? Sæpe enim, quæ nos ex noſtra perſona dicentes uix ferant iudices, ſuppoſita dignitate perſonæ liberius dici & conuenientius poterunt. Προσωπο

ETHOPOEIA, moralis confictio. Hæc figura differt à ſuperiore eo, quòd ibi & perſonas fingimus, quæ nuſquã ſunt: hic certis quibuſdam perſonis uerba accommodate adfingimus, uel ad improbitatem earum demonſtrandam, uel ad dignitatem. Tale eſt illud pro Quintio: Quid Sextus Næuius ad hæc? ridet noſtram amentiam ſcilicet, cum ab eo officia boni uiri deſideramus: & quemadmodum natus, inquit, & quemadmodum educatus ſum memini. Vetus eſt, de ſcurra diuitem facilius multò, quàm patremfamiliâs fieri poſſe. & cætera. Ἠθοποιία

APOSIOPESIS, reticentia. cum intra nos ſupprimimus ea quæ dicturi uidemur, quòd aut turpia, aut inuidioſa, aut alioqui nobis grauia dictu ſunt: ut eſt Demoſthenicum illud procemium, Non pari ego & aduerſarius periculo ad iudicium uenimus: ſed mihi quidem: nolo autem quicquam initio dicendi ominoſius proloqui. Interdum etiam utimur hac figura, quaſi ad alia properemus. Tale eſt Vergilianum illud, Ἀποσιώπη

Quos ego. ſed motos præſtat componere fluctus.

Epitro

ἐπιτροχασμός. EPITROCHASMOS, *percurſio.* H*æc rurſum figura differt à coaceruatione: quòd cũ illa res diuerſas plures in eundem locum conferat, hæc diſtantia plura inter ſe percurrens uelocitate ipſa circũponit: ut ſi uelis dicere, Cæſar in Italiam euolarat, Corfinium præſidio deſertum ceperat, urbe potiebatur, Pompeium perſequebatur.*

Εἰρωνεία. IRONIA, *ſimulatio, frequẽtiſſima apud oratores: qua figura aliud uerbis ſignificamus, aliud re ſentimus. À quo genere figuræ procœmium pro* Ligario *ſumptum eſt,* Nouum crimen C. Cæſar, *& ante hunc diem inauditum, & cætera.*

παράληψις. PARALEPSIS, *præteritio.* Frequens *eſt huius figuræ uſus, ubi quaſi prætermittentes quædam nihilominus dicimus, ſicut pro* Milone *tota illa quæſtio inducta eſt, qua docet è* Rep. *fuiſſe occidi* Clodium. Quòd *ſi non poſſem, inquit, diluere crimen, ut dilui: tamen glorioſe hæc prædicare* Miloni *liceret.* Item *pro domo ſua cõtra* Clodiũ: Vides'ne *me nõ radicitus euellere omneis actiones tuas, neq; illud agere, quod omnino apertũ eſt, te omnino nihil egiſſe iure, non fuiſſe tribunũ plebis? & cætera quæ prætermittere ſe ait, nihilominus dicit.* Vtemur *autem hoc adiumento in ijs, quæ infirma, uel inuidioſa nobis futura ſunt, ſi directo dicantur.*

ἀποστροφή. APOSTROPHE, *auerſio.* Neceſſaria *plerumq; figura, ubi quæ ad alios dicta uolumus, ad alios dicere uidemur. Sic plerunq; conuertimus orationẽ in reum ab iudice, cum illa tamen quibus aduerſarium alloquimur, iudici alligentur.* Acutiſſimum *exemplum in* Philippicis

Demo

Demoſthenis, ubi quibus uerbis populum Athenienſem monitum uult, eadem ſe dicit apud Græcos, & Arcadas & Meſſenios concionatũ inuidioſe. Et M. Tullius cũ ſæpe aliàs, tum pro Roſcio cõuertit orationẽ ad Chryſogonum, ab illo loco, Rogat ita oratq; te Chryſogone, &c.

DIAPORESIS, addubitatio. Hac utimur, cum propter res aliquas uolumus uideri dubitare, & quaſi ab ipſis iudicibus conſiliũ capere, quo potiſſimum genere orationis utamur. Quale eſt pro Cluentio prooemium: Equidẽ quò me uertam Iudices neſcio. neqẽ fuiſſe illam rem, &c. Item pro Cornelio: Pugnem aperte cõtra nobiliſſimorum hominum uoluntates? ſtudia, conſilia, cogitationesq; eorum aperiam? & cætera. quæ, quaſi dubitans an ſibi facienda ſint, dicit. Διαπόρησις.

EROTEMA, interrogatum. Eo utimur, ubi exaceruando aliquid interrogamus, & augemus eius inuidiam, hoc modo, Fuiſti'ne illo in loco? dixiſti'ne hæc ita geſta eſſe? renuntiaſti'ne ea quibus decepti ſumus? Hæc enim ſi ſine interrogatione dicantur, ad hunc modum, Hic fuit illo in loco, & ita eſſe geſta dixit, & falſa renuntiando nos decepit: hæc ſic prolata minus inuidioſe proferrentur. Ἐρώτημα.

PYSMA, quæſitum. Hoc genus à ſuperiore eo differt, quòd ad interrogatum una uoce tantum reſponderi poteſt, uel à negante, uel à confitente: Quæſito autem occurri non niſi pluribus poteſt, hoc modo ſi dicas, Qua igitur ratione bellum geremus? quæ auxilia nobis parata erunt? quis erit qui ſubuenire uolet, cum tam acerbe ſocios tractauerimus? Πύσμα.

τύπωσις. DIATYPOSIS, *deſcriptio uel deformatio, ubi rebus derelictis, perſonarum & formas ipſas, & habitus deſcribimus & exprimimus, ut* Tullius *hoc modo:*Ponite *ante oculos uobis* Rullum *in* Ponto *inter ueſtra atq; hoſtium caſtra, haſta poſita, cum ſuis formoſis finitoribus auctionantem.* Item *plenius pro* Milone: Si *hæc non geſta audiretis, ſed picta uideretis, tamen appareret, uter eſſet inſidiator.* Et *deformat* Milonem *in rhedaſedentem penulatum cum uxore. item* Clodiũ *in equo & cum delectis uilla egredientem.* Eodem *modo pro* Roſcio *de* Glaucia: Non'*ne uobis hæc quæ audiſtis, oculis cernere uidemini* Iudices? *non illum miſerum, ignarum caſus ſui, redeuntem à cœna uidetis? nõ poſitas inſidias? non impetum repentinum? non uerſatur ante oculos uobis in cæde* Glauciæ? *& quæ ſequuntur.*

σαγωγή. ANTISAGOGE, *compenſatio. eſt autem huiuſmodi, ubi aliquid difficile & contrarium confitendum eſt: ſed contrà inijcitur non minus firmũ, qualia ſunt hæc de rege* Ptolemæo *apud* Ciceronẽ: Difficilis *ratio belli gerendi: at plena fidei, plena pietatis.* Et *ſi dicas, magnus labor, multa pericula proponuntur: at gloria ex his immortalis eſt conſecutura.*

ιασυρμός. DIASYRMOS, *eleuatio uel irriſo.* E*a figura eſt, qua ludentes, quæ dicuntur ab aduerſarijs, diſſoluimus.* Qualis *eſt ille locus pro* Muræna *in* Sulpitium *totus de iure ciuili.*

ετάστασις. METASTASIN, *tranſmotionem, quidã inter figuras nominant, cum rem à nobis aliò tranſmouemus, non ita ut ibi cauſam cõſtituamus, alioqui iam*

non

non figura erit,ſed ſpecies quædam eius ſtatus, quẽ qua-litatis, aut ex accidenti apellant ſecundum Hermago-*ram. cæterum alibi in parte aliqua orationis ſententiam hoc modo figuramus: quale eſt apud* Demoſthenẽ *initio defenſionis pro* Cteſiphonte, *Cum bellum, inquit,* Pho-*cenſe conflatum eſſet:non per me, nondum enim ego ad* Remp.*acceſſeram.* T*ale & illud pro* Cornelio *uideri po teſt de ærario:* R*efertum, inquit,tribunitijs legibus, ex-hauſtum à quibus ſit,ipſi ſciunt.*

H*AE ferè ſunt ab elegantiſsimis electæ figuræ ſen-tentiarum: quibus ſi,ut adoleſcens acerrimo inge-nio,utebaris citatus proprio motu animi,aut etiã exiſti-matione lectionis* T*ullianæ, prius etiam quàm numerum earum,nominaq́; percepiſſes:nihil mirũ eſt.* Omnia *enim ferè quæ præceptis continentur, ab ingenioſis hominibus & in dicendo ſe exercentibus fiunt: ſed caſu quodam ma gis quàm ſcientia.* Ideoq́; *doctrina & animaduerſio ad-hibenda eſt, ut ea quæ interdum ſine ratione nobis occur runt, ſemper in noſtra poteſtate ſint: & quoties res po-ſtulauerit,à nobis ex præparato adhibeãtur.* Nunc *ad fi-guras elocutionis tranſeamus: qua in traditione primum mihi uidetur demonſtrandum, quot genera ſint elocu-tionis,quotq́; modis eis utamur.*

E*ſt igitur omnis oratio,aut ſoluta nulla inter ſe neceſsi tate numerorũ, neq; cõpoſita mẽbris quibuſdã, uel deter-minata certa circũſcriptione uerborũ.*Ea *plerunq; in ſer-mone aſsidua, & in epiſtolis utimur:interponitur autem & in dialogis, & in orationibus, ubi aliquid ſimile & proximum ſermoni uolumus effingere.*Aut *perpetua,quã*

Græci

Græci εἰρομένην λέξιν appellant: quæ ita connectitur, ut ſuperiorem elocutionem ſemper proxima ſequatur, atq; ita ſeriem quandam ſignificatus rerũ explicet. Ea præcipue hiſtoriæ diſcretioni cõuenit, quæ tractim effuſum genus eloquendi, non conuerſum, neq; circũſcriptum deſiderat. Habet ſæpe in iudiciali genere dicendi uſum neceſſarium, ſiquando quaſi decurſu quodam uti uolumus: ut illa ſe habẽt in oratione Miloniana, Occidi, occidi nõ Spurium Melium, qui annona leuanda iacturisq; rei familiaris &c. in uitam Clodij inuehitur. Alia autẽ quæ ex ambitu conſtat, quem ambitum Græci περίοδον appellant. Eſt autem ea quæ ſententiam certa quadã circũſcriptione definit, atque determinat: qualis eſt hæc: Si quantum in agro locisq; deſertis audacia poteſt, tantum in foro & in iudicijs impudentia ualeret: non minus nũc Aulus Cecinna cederet impudẽtiæ, quàm tum in ui faciunda ceſſit audaciæ. Sed hic ambitus conſtat ex membris, quæ κῶλα Græci uocant: & cæſis, quæ κόμματα appellant. Membrum quidem eſt pars orationis ex pluribus uerbis, abſolute aliquid ſignificans, hoc modo: Etſi uereor Iudices, ne turpe ſit, pro fortiſſimo uiro dicere incipientem timere. Cæſum autem eſt pars orationis nondũ ex duobus aut ex pluribus uerbis quicquã abſolute ſignificans, hoc modo: Etſi uereor Iudices ne turpe ſit. Nonnunquã tamen cæſam dicimus orationem, quoties non efficiuntur membra ex connexione uerborum: ſed ſingula, quamuis ſignificantia, proferuntur: ad iſtum modum: Quis eſt iſte Lollius? armiger Catilinæ, ſtipator tui corporis, concitator tabernariorum, percuſſor, licitator fori, depopulator curiæ.

curiæ. Et alibi apud eundem oratorem, Comites illi delecti manus erant tuæ: ut quiſque te familiaritate attigerat, ita maxime manus tua putabatur. Conſtat autē ambitus, ex duobus membris, ex tribus membris, ex quatuor interdum: etſi nonnulli ex uno membro ambitum putant poſſe compleri: quam μονόκωλον περίοδον appellant. Ego autem non uideo, quemadmodum periodos cognominetur, & non potius colum ſiue membrum, ſi unum ſit. μονόκωλος

His demōſtratis quæ & ipſa poßit aliquis figuris elocutionis ānumerare: cæteras perſequemur, ſi illud prædixerimus, optimam & efficaciſsimam orationem futuram, ſi & hos ambitus habuerit de quibus diximus, & quibuſdam in partibus continuo rationem illam perpetuæ elocutionis aſſumpſerit, & nonnunquā cæſis interrupta fuerit. Nam ubi omnia periodis explicātur, ſatietatem & faſtidium ex ſimilitudine parit: qualia ſcripta eorum, qui Iſocratem male imitati ſunt: quippe cum ipſe Iſocrates in hoc genere à quibuſdam improbetur. At ubi ſemper continuatur oratio, nec illæ quaſi reſpirationes ex interuallis, atque definitionibus periodorum interponuntur: & audiētem, & dicentē fatigat. Vbi uero cæſa ſemper oratio eſt: nihil à ſermone imperitorum differre uidetur. Quare permiſcenda ſunt hæc, & rebus pro conditione earum accommodanda.

Differt autem figura elocutionis à figura ſententiæ hoc, quòd ſententiæ figura immutato uerborum ordine, uel translato, manet nihilominus. Elocutionis autem, ſi diſtraxeris uel immutaueris uerba, uel ordinem non ſeruaueris, manere non poterit.

εἰρωνία. IRONIA ſententiæ figura, quam hoc modo enuntiabo: Hic enim egregius autor communiũ commodorum, cuſtos & defenſor reipublicæ, ſalus & columen ciuitatis. de quo contraria ſcilicet intelligi uelim, mutabo uerba ordine eorum uerſo, uel tota locutione aliter explicata, ſic, Nanque iſte cuius ope & auxilio uidelicet ciuitas nititur: manet utique ironia eadem, neque læditur uerborum immutatione. At uero ſi figura elocutionis ſit, quam relationem, Græce ἐπαναφορὰν uocamus, quæ eſt huiuſmodi, Ille autor diſcordiarum, ille dux ſeditionum omniũ, ille in pace tumultuoſus, ille proditor in bello: & illam partem orationis repetitã ſæpius in initio membrorum aut cæſorum, ſuſtulero, & tantũ ſemel dixero, ſubiungens cætera, hoc modo, Ille qui ſeditionum autor, diſcordiarum concitator, in pace tumultuoſus, in bello proditor fuit: figuram elocutionis ſuſtuli. Nonnunquam autem, imò plerunque concurrere poteſt, ut ſentẽtiæ figura coniungatur cum elocutionis figura: qua hoc modo enuntiatum eſt, Ille amator patriæ egregius, ille Reip. cuſtos, ille defenſor libertatis ac legum, cum hoc de eo dicatur, de quo contraria intelligi uolumus, & ironiam eſſe, quæ figura ſententiæ eſt, & epanaphoran conſtat: de qua proxime diximus, quæ eſt elocutionis. Nunc ad inſtituta pergamus. Sunt igitur figurarum elocutiones aliæ, ad ornandum tantum, & quaſi ad pingendam orationem accommodatæ: quibus princeps Gorgias Leontinus uſus eſt, ſed ſine modo: Et ideò illius oratio, quæ initio audientes nouitate permouerat, faſtidiũ meruit. Iſocrates autem poſt eum parcius, necnon etiam ipſe Demoſthenes, ſed

tanta

tanta moderatione,ut nuſquam in tædium incurrat. Eas ergo primum exponemus.

ANTITHETON, *oppoſitum ex contrarijs. Hæc figura conſtat ex eo quòd uerba pugnantia inter ſe paria, paribus opponuntur. Cuiuſmodi breuiſſimum eſt illud* Ciceronis, *Domus deerat? at habebas. Pecunia ſuperabat? at egebas. In pace, ad uexandos ciues acerrimus: in bello, ad expugnandos hoſtes incertiſſimus.* Ἀντίθετ[on]

ISOCOLON, *exæquatum membris. Fit autem quoties non pugnantibus inter ſe, ſed paribus tantummodo uerbis, duo uel etiam plura membra, quæ* κῶλα *dicimus, explicantur: ut ſi dicas hoc modo, Claſſem ſpecioſiſſimam inſtruxit, exercitum pulcherrimum & fortiſſimum delegit: addere etiam licet, ſociorum maximam & fideliſſimam manum comparauit, & longius eodem modo progredi, dum ne in faſtidium incurras.* Ἰσόκωλ[ον]

PARISON, *propè æquatum. Differt autem à ſuperiore, quòd ibi membrorum uerba paria ſunt numero: hic uno, uel altero addito, aut in ſuperiore membro, aut in poſtremo pariter excurrunt: ut ſi hoc enunties, Neq; gratia & diuitijs locupletum corruptus, neque minis & denuntiatione potentum perterritus, neq; difficultatibus & magnitudine rei à propoſita magnitudine deiectus. Hoc enim poſtremũ pluribus uerbis, quàm ſuperiora, enuntiatum membrũ longius produxit, quod fieri & in primo poteſt, ſed ibi opportunius, ſi quo longius erit cæteris, initio prænuntiatur: in poſteriore autem, ſi ad poſtremum producitur.* Πάρισο[ν]

ὁμοιόπτωτον. HOMOEOPTOTON, *ſimile in caſibus.* Hoc ex eo nomen accepit, quòd membra illa, id eſt, κῶλα, in eoſdem caſus cadunt ad hunc modum, Huic igitur ſocios ueſtros criminanti, & ad bellum uos cohortanti, & omnibus modis ut in tumultu eſſetis, molienti. Hæc enim tria in eundem caſum determinata ſunt.

ὁμοιοτέλευτον. HOMOEOTELEVTON, *ſimile determinatione:* differt à ſuperiore, quòd illud quidem & caſu & ſono ſimilia uerba membrorum determinat: hoc uerò non ſolum caſuum ſimilitudine, ſed cuiuſcunq; uerbi atque enuntiationis contentum eſt. In muros ſtatim curritur, exercitus à ſocijs accerſitur, delectus iuuentuti denuntiatur.

παρωνυμία. PARONYMIA, *leuis immutatio.* Hæc figura ita ornat orationem, ut in nomine aut in uerbo interdum ſyllaba, nonnunquam litera immutata, diuerſa ſignificet: ut ſi uelis ſic enuntiare, Prætor iſte, uel potius prædo ſociorum. Et frequens illud apud ueteres eiuſmodi eſt, Cui quod libet, hoc licet. Non indecore interim & prioris uerbi poſtremitas, ſimilitudine poſterioris excipitur: ut ſe habet, Legem frequenter agitas, quæ tibi non deerat, erat enim diligentiſſime ſcripta.

πλοκή. PLOCE, *copulatio.* Ea figura elocutionis, in qua idem uerbum aut nomen bis continuo poſitum diuerſa ſignificat, ut eſt illud; Sed tamen ad illum diem, Memmius erat Memmius. Ita enim hoc bis poſitum eſt, ut ſuperius quidem nomen tantùm ſignificet hominis, poſterius uelit intelligi eundem qui ſemper fuerit, ac ſui ſimilem.

Palilogia

PALILOGIA, *iteratio. Hæc figura repetito eodem uerbo aut nomine, non diuerſa uult intelligi, ſed idem, quod ſignificatur, efficere uehementius. Cuiuſmodi eſt hoc: Ferrum ferrum, inquit, & hoc in iudicio dicit ter, eijcianturq́; proterui. Repetitum enim hoc ferrum indignitatem rei atque audaciam eius, in quem dicitur, impenſius ſignificat. Nec ſolum nomen aut uerbum, ſed pars orationis iterari ad eundem uſum poteſt, ut cum dicitur: Tu tu Antoni Cæſari ruenti, atq; omnia permiſcere cupienti, cauſam belli ciuilis dediſti. Atq; hæ duæ figuræ, ſuperior, & iſta ipſa de qua locuti ſumus, non ad ornandam magis & exornandam orationem, ut illæ ſuperiores, ſed ad accendendam pugnam dicendi ualent: ſicut uel magis pleræque earum quæ conſequentur. Ideoq́; & Ariſtoteli & iteratio ipſa uerborum ac nominum, & repetitio frequentior, & omnis huiuſmodi motus, actioni magis & certamini, quàm ſtylo uidetur conuenire. Qua de re in tertio Rhetoricarum libro artium diſſerit. Verum docet nos & Demoſthenes & Cicero, eam optime orationem eſſe compoſitam, quæ cum illa ornamenta parium, & contrariorum, & immutatorum uerborũ habeat, ex quibus & ipſis tamen ſæpe non ornatior, quàm uehementior fit oratio, ſi in tempore & cum modo aſſumatur: tum his quæ ueræ adfectionis ſpeciem præferunt, texetur. Ita enim maxime exemplum & imaginem ueritatis continebit.* Παλιλογ

EPANALEPSIS, *repetitio. Hæc figura tantum à priore diſtat, quòd in illa quidem una pars orationis bis repetitur, tum coniunctim, tum interpoſito uno* Ἐπανάλη

c 3 aut

aut altero uerbo, quo uehementior elocutio uidetur fieri: at in hac ex plurium uerborum continuatione repetita idem quæritur: ut ſi dicas : Patriæ ſuæ quiſquã, ô dij immortales, exitium eſt machinatus ? Hæc non poteſt: iam non poteſt, inquam, libera hæc ciuitas eſſe.

διπλωσις. ANADIPLOSIS, *replicatio*. *Rarũ apud oratores figuræ genus, frequentius apud poëtas: ſiquãdo tamen & in ciuilem orationem incidit, mediocrem dignitatem habet. Intereſt autẽ inter hoc & illa duo ſuperiora tantum, quòd hic ea quæ in ſuperiore membro poſtrema ponũtur, in poſteriore prima repetuntur: ad hunc modum:* Concurrerat ad tantæ rei nuntium, ſicut cõmune ciuitatis periculum monebat, ſenatus frequens, equeſter ordo uniuerſus. *Tale eſt & illud Terentianum:* Negat Fanium eſſe hanc ſibi cognatam Demipho ? Hanc Demipho negat eſſe cognatam?

ποσαπόδω- PROSAPODOSIS, *redditio. Nomẽ hæc figura ex eo accepit, quòd idem nomẽ in poſtrema parte membri, aut eadem quæcunque pars orationis redditur, eſt cõnexa, unde id membrum aut is ambitus cœpit, ut ſi uelis hoc modo eloqui, cum quid quaſi indigneris aut doleas,* Tibi ſceleratiſſime omnium, imputare omnes calamitates ſuas debet Reſpublica, tibi. *Aut ſic*, Hæc ô dij immortales in ciuitate moliri auſus eſt Glaucia?

ἐπαναφορά. EPANAPHORA, *quod relatũ uocant. Hac figura uel frequentiſſime & Demoſthenes, & inde Tullius, & omnes uehementes oratores utuntur: unde præcipue & ipſi cõmoti uideri uolunt, & iudicem commouere. Conſtat autem ex eo, quòd eadem pars orationis*

ſæpius

ſæpius per ſingulos ambitus, aut per ſingula membra, interdum etiam breuius per cæſa, quæ κόμματα appellant, repetitur hoc modo, Verres calumniatorem apponebat, Verres de cauſa cognoſcebat, Verres pronuntiabat. Aut ſi dicas, Ille uenire hoſtes nuntiauit, ille uos in motum belli compulit, ille in tumultu ut ciuitas eſſet effecit. Per ambitum autem repeti poteſt eadem pars orationis ſic, Tam diu Tiberius Gracchus populo gratus fuit, quàm diu leges ad uoluntatem eius, non utilitatem Reipub. compoſitas ferebat: Tam diu C. Gracchus, quàm diu legibus agrarijs & frumentarijs, & cæteris profuſionibus ærarijs multitudinem imperitam promerebatur: Tam diu Saturninus plurimum potuit, quàm diu eaſdem illas frumentarias largitiones, & agri diuiſiones pollicebatur.

ANTISTROPHE, *conuerſio. Species huius figuræ cum eandem ferè uim habeat, contraria eſt ſuperiori, eò quòd ibi ab eadem parte orationis ſæpius incipitur, hic in eandem partem deſinitur. Cuiuſmodi eſt hoc pro Fonteio, Frumenti maximus numerus è Gallia, peditatus ampliſſimæ copiæ è Gallia, equites numero plurimi è Gallia.* ἀντιστροφή.

SYMPLOCE, *connexum. Hæc figura ex utraq; earum, quas ſuprà demonſtrauimus, compoſita eſt: utranque orationis ſpeciem circundat. Nam & incipit ſæpius ab una parte orationis, & toties in unam atque eandem deſinit: ut hæc ſe habet, Quis legem tulit? Rullus. Quis tribus ſortitus eſt? Rullus. Quis decemuiros creauit? idem Rullus.* Συμπλοκή.

πολύπτωτον. POLYPTOTON, *ex pluribus caſibus.* Hanc *figuram ex eo nominauerunt, quòd cum ſæpius initio ab eadem parte orationis ſtat, illa ipſa pars declinationibus caſuum aut generibus, aut numeris immutatur.*

Caſuum declinationibus hoc modo: Senatus *eſt ſummi imperij conſilium.* Senatui Reipub.*cura mandatur.* Ad Senatum *in dubijs periculoſis'que rebus omnis ciuitas reſpicit.* Generibus *autem hoc modo:* Pulchra *autem hæc fama contigit ciuitati, ſi optime meritum ciuem damnauerimus: pulchrum erat exteras nationes exiſtimare iniſtiores nos eſſe bonis quàm malis.* Pulchre *communibus utilitatibus conſulemus, ſi quos oppreſſos & hoſtes cupiere, nos circumuenerimus.* Numeris *autem ſic:* Grata *ſemper ſingulis fuerunt, quæ commodi eorum cauſa conſtituta ſunt.* Gratum *ille ſuperior* Africanus *ſenatoribus fecit, qui primus eius ordinis ſubſellia à populo liberauit.*

συνωνυμία. SYNONYMIA, *cõmunio nominis.* Vtimur *autem eo genere elocutionis, quoties uno uerbo non ſatis uidemur dignitatem aut magnitudinẽ rei demonſtrare: ideoq́; in eiuſdem ſignificatione plura conferuntur, ut ſi dicas,* Proſtrauit, *afflixit, perculit.*

ταυτολογία. TAVTOLOGIA, Eandem *rem pluribus uerbis ſignificat hoc ſchema.* Differt *autem perexiguo à ſuperiori figura.* Ibi *enim ſingulæ partes ex ordine idem ſignificantes ponuntur: hic unius nominis aut uerbi prius poſiti uis deinceps pluribus uerbis explicatur, ut ſi dicas,* Senatus Populiq́; Romani *ſummum conſilium, à quo ordine iura exteræ nationes petunt.* Hic *enim unum*

nomen

nomen ſenatus, proſecutionem accipit ex pluribus uerbis non aliud ſignificantibus. Qui enim ſummum conſilium dixit, & eum ordinem à quo exteræ nationes iura petunt, non aliud quàm ſenatum dixit, ſed proſequendo latius ornauit elocutionem.

CLIMAX *quod Græci uocant, Aſcenſus nominetur à nobis. Malo enim aſcēſus, quàm ſcalam aut gradiculos, ut quidam, dicere. Eſt autem figura perquàm decora, & à Demoſthene commendata: in qua poſtremū quodq; uerbum in priore membro aut parte aliqua elocutionis poſitum in inferiorem rurſus aſſumptum inijcitur: atque ita uelut gradibus quibuſdam connectitur oratio, ad hunc modum, ponam enim ipſum Demoſthenicum uerſum, Et non dixi hæc quidem, non autem ſcripſi: nec, ſcripſi quidem. non profectus ſum autem ad legationem: nec, profectus ſum quidem, non perſuaſi autem Thebanis. Hic animaduertis, quantò ea latius dicta ſint, quàm ſi ſimpliciter enuntiaſſet, Et dixi hæc, & ſcripſi, & in legationem profectus ſum, & perſuaſi Thebanis. Sic enim Tullius pro Milone: Neque uerò ſe populo ſolum, ſed etiam ſenatui commiſit: nec ſenatui modo, ſed etiam publicis præſidijs & armis: neq; his tantum, ſed etiam eius poteſtati, cui ſenatus totam Remp. cōmiſit. Parcè autem uſus eſt figura. Nam in tertio gradu cōtentus fuit dicere, neq; his tantum, ne rurſum totum illud repeteret, neq; ſolum publicis præſidijs & armis tantum: uidelicet quia & longum & inſuaue futurum erat. Egregie autem, & (ut mihi uidetur) feliciter Licinius Caluus in Vatinium: Non ergo pecuniarum magis repetundarum, quàm maieſtatis:* κλίμαξ.

neque maieſtatis magis, quàm Plauciæ legis: neque Plauciæ legis magis, quàm ambitus: neque ambitus magis, quàm omnium legum omnia iudicia perierunt.

ἀσύνδετον. SOLVTVM (*ſic enim uoco, quod ἀσύνδετον Græci uocant*) *fit ita, ut demptis*iunctionibus & propoſitionibus, quibus uerba & non uerbis nominibus aut appellationibus particulis cōſequuntur, ſingulatim unumquodque enuntiemus. Cuius rei frequentiſsimum exemplum eſt per totas orationes M. Tullij: ſed uel hoc unum ad exemplum ſufficiet, Expecto uim edicti, ſeueritatem prætoris: faueo aratori, cupio octupli damnari Aproniū. In his enim animaduertimus nullam neque*diſiunctionem, neque propoſitionem interpoſitam. Facit autem figura hæc & ad celeritatem, & ad uim doloris aliquam ſignificandam: qua plerunq; cum commoti ſumus, hoc modo incidere ſolemus. Illud etiam præceptum habeto, autori ueræ cauſæ nunquam timendum eſſe, ne nimius ſit in figuris ſententiarum. ſi enim fieri poſsit, ut omnes ad aliquam utilitatem figurentur, non uitandum. Verum & optabile eſt elocutionis figuris modum adhibere, & ijs maximè, quas diximus ad oſtentationem magis quàm ad certamen facere: in quibus paribus paria redduntur, aut quæ ſimili caſu aut ſono determinantur: in his etiam quæ iteratione uerbi, aut repetitione, aut alio quocunque huiuſmodi motu accidunt. In elocutione tandiu commorandum erit, quandiu non in faſtidium & ſatietatem audientis incurret. Melius itaque eſt pluribus huiuſmodi figuris uti, & exemplis uariari elocutionem, quàm diutius in ijſdem manere.*

Diſiunctum

DISIVNCTVM ſiue iniunctum: Hæc figura ita ornat & amplificat orationem, ut diuerſis redditionibus uerborum membra, quæ uocamus κῶλα, diſiungat ac ſeparet ſiue duo, ſiue plura, hoc modo, Capuã colonis deductis occupabunt, ac etiam præſidio communient: Nuceriam, Cumas multitudine ſuorum obtinebũt: cætera oppida præſidijs deuincient. Tale eſt & illud, Veniet igitur ſub præconem tota Propontis atq; Helleſpontus: addicetur communis ora Lyciorum atq; Cilicum, Myſia, & Phrygia: Veniet Propontis atq; Helleſpontus ſub præconem, id eſt, cõditioni legiq; parebunt. Animaduertere autem potes nihil intereſſe, utrum in poſtremis partibus membra diſiungantur, uiciſsitate uerborum, an in primis, an hoc uiciſsim fiat. Diſiunctum

DIEZEVGMENON, ſiue epizeugmenon, diſiunctum ſiue iniunctum. Hoc genus enumerationis diuerſam habet uim à figura ſuperiore. Ibi enim copia uerborum iactatur, hic breuitas. Nam ut in ſuperiore ſingulis membris ſingula diuerſa reddimus, ita hic plura in uno coniungimus. Quale eſt hoc, Quorum ordo humilis, fortuna ſordida, natura turpis à ratione abhorret. Hoc enim poſtremum abhorret, ad tria refertur. Sin autem hæc figura ita fit, ut in poſtremo ſit pars orationis, quæ duo aut plura membra coniungat, tum in primo, tum in medio: iniectionem, id eſt ἐπιβολήν, uocemus licet. Præſtat autem uim orationi pluribus uerbis in eandem rem collocatis, non idem ſignificantibus, ſed maius ſemper ac maius aliquid, hoc modo, Verberatur, cruciatur, necatur. Διεζευγμένον

Pleo

Πλεονασμός. PLEONASMOS, *Plus. Neceſſarius huius figuræ uſus in eo eſt, ut uerba quidem adijciamus, non tam enuntiandæ rei neceſſaria, quàm ut ex his magnitudo, uel dignitas, uel moralis aliqua commentatio, aut deniq; ſpecies motura iudicem circumponatur. Alioqui ſi nihil eorum additio uerbi efficiet, uitioſa erit. Itaque ſi dicas,* M. Cato *ille: quamuis ſufficiat nomē tantummodo poſuiſſe, uidearis tamē aliquid ſignificaſſe addito* ILLE. *Item hoc, Quæ, malum, eſt iſta uoluntaria ſeruitus? Cum poſsit ſatis ſignificatum eſſe, quænam eſt iſta uoluntaria ſeruitus: plus quiddam habuit ex eo, quod* MALVM *interpoſitum eſt.*

ἔλλειψις. ELLIPSIS, *id eſt, detractio, contraria ſuperiori figura. Ornatur oratio, cum uerbum aliquod detrahimus à ſua ſignificatione, hoc modo, Et illi quidem qui à ſe contumeliam morte inimici repulit, ignoſco: uidentur autem mihi & iudices, qui ſententias pro illo tulerunt: nam multos fuiſſe audio. Hic apparet totum illud deeſſe, Videntur autem mihi & iudices idem ſenſiſſe, uel ignouiſſe: ſed quia intelligebatur, ideo detractum eſt, ut ipſa celeritate commotior eſſet enuntiatio.*

Hæ ſunt fere elocutionum figuræ animaduerſione dignæ. Iam illud ſua quiſque ſponte intelligere poſsit, ſæpe plures elocutionis figuras cōcurrere. Nam qui ſic loquitur, Athenienſes Aſiæ partem eam quæ Ionia cognominata eſt, colonis cōmunierunt: Dores Italiæ eam regionem, quæ Græcia eſt nominata, occupauêre: tres in unum figuras contulit, iſocolon, homœoptoton, diezeugmenon. Idemq; hoc & in cæteris figuris accidere poterit.

Illud

Illud ad poſtremum præcipiendum uidetur, ne propoſita tibi figura, quæras elocutionẽ his ſubiungere, ſi ita uerba colligas, ut in eam figuram quam deſtinaueris incidat. Infirmum enim hoc & puerile erit. Hæc conſuetudo multa elocutionis, in qua figuras huiuſmodi recognoſcas, & aſsiduitas ſtyli, tum ipſa exercitatio commouerit: dicendi facultas item in has formas ultro incurret, ut & quibus, & quo tempore utendũ ſit, poſsis dijudicare. Plurimum optimorum imitatio adiumenti præſtabit. Demoſthenis enim phraſim M. Tullius, nedum copiam imitatur. Sed ne in nimietatem incidamus, cauendum eſt.

FINIS.

IVLII RVFINIANI DE FIGVRIS ſententiarum & elocutionis Liber.

HACTENVS Aquila Romanus ex Alexandro Numenio: exinde ab eo præterita, ab alijs quidem prodita, ſubtexuimus ſchemata διανοίας.

IRONIA: partes eius chleuaſmòs ſiue epicertomeſis, chariẽtiſmòs ſiue ſcomma, aſtiſmòs, diaſyrmòs, exutheniſmòs, ſarcaſmòs, apophaſis ſiue ætiologia, aporia, anacœnoſis, aganecteſis, apodoxis, apoplaneſis, aphoriſmòs, ſiue dioriſmòs, aria, deeſis, diabole, dianœa, apophoniſma, dialogiſmòs, epiplexis ſiue epitmeſis, homœoſis, icon, homœon, epagoge, epitrope,

euche,

euche, epiphonema, enthymema, epanalepſis, pruperga=ſia ſiue proparaſceue, parrheſia, paradoxon ſiue hypo=mone, protrope, pathopœia, ſyncriſis ſiue antitheſis, hy=perbole.

Εἰρωνία. IRONIA *elocutiũcula Salluſtiana commodiſſime exprimitur, cum aliud in pectore recluſum, aliud in lingua promptum habemus, & ſentẽtia enuntiationis in contrarium à uerbis accipitur, ut apud* Vergilium: Scili=cet, *is ſuperis labor eſt.* Apud Tullium pro Ligario: No=*uum crimen* Cai *Cæſar, &c.* In Clodium & Curionem: Tu *uero feſtiuus, tu elegans, tu ſolus urbanus, quem de=cet muliebris ornatus, &c.* Ironiæ aũt *ſpecies ſex,* Chle=*uaſmos ſiue epicertomeſis,* Charientiſmos *ſiue ſcomma,* Aſtiſmos, Diaſyrmos, Exutheniſmos, Sarcaſmos.

Χλευασμός. CHLEVASMOS *ſiue epicertomeſis. Hæc fi=gura riſum excitat, & ſeuere propoſita uafre excu=tit, eludens perſonarum, aut rerum comparationem, ut apud* Vergiliũ: -Meq; *timoris* Argue tu Drance. Apud Ciceronem: Quaſi *uero ego de facie tua catamite dixe=rim: uel alias potuiſſet contumelioſius facere, ſi tibi hoc* Parmeno *per aliquem, ac non ipſe* Parmeno *nuntiaſſet.*

Χαριεντισμός. CHARIENTISMOS *ſiue ſcomma.* Hac *figura fit feſtiua dictio, cum amœnitate mordax, ut apud* Ciceronem: Infirmo *corpore atque ægro, colore, ut ipſe iudicare p. u.* Et *apud eundem,* Facite *enim ut uultum ipſius, & illam uſque ad talos demiſſam purpu=ram cogitetis.*

Ἀστεϊσμός. ASTISMOS *urbana dictio. Hac figura fit exer=citatis alijs ingenua feſtiuitas: ut apud* Ciceronẽ: Re

ſpicite

ſpicite, reſpicite iudices hominum fortunas, reſpicite Fabritij ſenectutem. Cum hoc Reſpicite ornandæ orationis cauſa ſæpe dixiſſet, reſpexit ipſe: at Fabritius à ſubſellijs demiſſo capite diſceſſerat. Et aliâs: Negabat ius tam nequam eſſe Verrinum. Et idem alibi, Execrabatur Sacerdotem, qui tam nequam Verrem reliquiſſet.

DIASYRMOS. *Hæc figura fit, cum rem aliquã aut perſonam eleuamus: ut apud Tullium, Eſt adhuc (quod admirari uos uideo) non Verres, ſed Quintus Mutius. Et in eodem, Sed repente eueſtigio ex homine, tanquam ex aliquo Circæo poculo, factus eſt Verres: redit ad ſe, atq; ad mores ſuos. Et alibi, Quid ad hæc Næuius? ridet ſcilicet noſtram amentiam, qui in uita ſua rationem ſummi officij deſideremus, & inſtituta bonorum uirorum requiramus.* Διασυρμός.

EXVTHENISMOS. *Figura hæc fit, cum rem aliquã extenuamus, & cõtemptam facimus: ut apud Lucilium: At magnum fecit, quòd uerbis Græca Latinis Miſcuit. Apud Tullium pro Cecinna: Eieci ego te armatis hominibus, non deieci, ut tantum facinus non in æquitate iuris, ſed in una litera latuiſſe uideatur. Item in Philippicarum ſecunda: Nam quod quærebas quomodo rediſſem: prima luce, non tenebris, deinde cum calceis & toga, nullis caligis, nec lacerna. Cato apud Athenienſes: Antiochus epiſtolis bellum gerit, calamo & atramento militat.* Ἐξουθενισμός.

SARCASMOS. *Hæc figura quibuſdam uidetur eadem quæ chleuaſmos, ſed à perfectiſſimis propria ſignificatione deſcripta eſt. Peculiariter enim fœdiora ea* Σαρκασμός.

ra ea ſignificamus, non tamen ſine dicacitate concinna: ut apud Vergilium:Nouimus & qui te,tranſuerſa tuentibus hirquis.Apud Ciceronẽ: Sexte noſter, bona uenia, quoniam dialecticus es, & hoc quoque liguris. Et pro Cælio: Quod facerem uehementius,niſi mihi intercederent inimicitiæ cum iſtius mulieris uiro: fratre uolui dicere, ſemper hic erro.

ἀπόφασις. APOPHASIS, *ſiue ætiologia, uenuſtum ſchema,ubi quaſi alio interrogante, nobis ipſis reſpondemus & rationem reddimus. Cicero pro Tullio: Siquis furem occiderit,iniuria occiderit. quamobrem? quia ius conſtitutum nullum eſt. Quid ſi ſe telo defenderit? iniuria.quid ita?quia conſtitutum eſt. Cæſar pro Bithynis, Quid ergo? ſyngraphæ non ſunt, ſed res aliena eſt. Et hactenus ubi nobis reſpondemus:aliâs ubi alijs:quod niſi arte procedit,cauſam prodit:ut apud Vergilium,interrogante altero,quod negare non poterat,ſubtiliter occurrit, ne furtum feciſſe exiſtimetur: An mihi cantando uictus non redderet ille, Quem mea carminibus meruiſſet fiſtula caprum?Et teſtis interrogatus à reo, num fuſtibus uapulaſſet,innocens inquit. Aut cum dicitur:Quæro an occiderit hominem: & reſpondetur, latronem:ut confeſſionem præcurrat defenſio.*

ἀπορία. APORIA,*eadem eſt & diaporeſis, addubitatio quædã, Cum ſimulamus quærere nos unde incipiendum,quid potiſſimum dicendum, an omnino dicendum. Cumq; artificialiter ſimulamus non res inuenire, non paratos ueniſſe,Cicero in Verrem: Quem? quemnam? recte admones, Polycletum eſſe dicebant. Et de domo*

ſua

ſua apud pontifices,Tibi literas ille miſit?quas?aut nunquam miſit:aut ſi miſit,in concione recitari noluit. Itaq; ſiue ille miſit, ſiue tu protuliſti : certe conſilium tuum de honore Catonis nudatum eſt.

ANACOENOSIS,*communicatio eſt : cum aut ipſos aduerſarios conſulimus,aut cum iudicibus deliberamus. Cicero in diuinatione:De te iam Cæcili mehercule extra hanc contentionem, certamenq́; noſtrum, & reliqua.eſt & Idiotiſmos.Item pro Quintio:Si de prædijs tuis ageretur Sex. Næui, ſi in paruula re captionis aliquid uererere:nõ ſtatim ad C.Aquiliũ, aut ad eorũ aliquem qui conſuluntur,cucurriſſes?cũ ius amicitiæ, ſocietatis, affinitatis ageretur,&c. Idem ibidem: Ego pro te nunc hoc cõſulo poſt tempus in aliena re, quod tu in tua re cum tempus erat, cõſulere oblitus es. Quæro abs te C.Aquili, L.Luculle,P.Quintili, M.Marcelle, uadimonium mihi non obijt quidam ſocius & affinis meus, quicum mihi neceſsitudo uetus,controuerſia de re pecuniaria recens intercedit,& cætera.Item pro Sextio: Si recte ueſtram bonitatem atq; prudentiam agnoui,non multũ me fallit:ſi conq.r.ſ.primũ expectari. Cato:Si uos in eo loco eſſetis,quid aliud faceretis?Et alibi:Communem rem putate,ac uos huic præpoſitos.Vergilius:-Fuit & tibi talis Anchiſes genitor,Dauni miſerere ſenectæ.* ἀνακοίνωσ

AGANACTESIS, *indignatio. Quæ fit maximè pronũtiatione, Ennius in Iphigenia:Menelaus me obiurgat,id meis rebus regimẽ reſtat .Verg. Cantando tu illum?aut unquam tibi fiſtula cera Iuncta fuit? Cicero pro Sylla : Fero ego te Torquate iandudum, fero.* ἀγανάκτησ

ἀπόδωξις. APODOXIS ſiue apoplaneſis, reiectio uel reprobatio quarundam rerum, quaſi in quæſtionẽ non uenire dignarum, neq; oportuiſſe aut ab aduerſarijs poni, aut à nobis quæri, aut à iudice poſtulari. Quod ſchema mirè facit ad accelerate fugiendum, ut & tacuiſſe, & tamen non timuiſſe uideamur, ut in re difficili & cõtraria nõ hæreamus. In qua figura breuiter morati ad aliud ſtatim tranſire debemus. Cicero pro Cælio: Equitis R. autem eſſe filium criminis loco poni ab accuſatoribus, neq; his iudicantibus oportuit, neq; defendentibus nobis.

ἀποπλάνησις. APOPLANESIS eſt, aut iudicis à re contraria nobis auocatio, quam cum deſiderat, aut ab aduerſario commonetur ut quærat, nos obſcurando & miſcendo & promittendo quidem dicturos nos, ſed ſuo loco, ad aliam rem auocamus. & rurſum, dum dicimus, ſenſim ad aliud tranſimus, & ab eo quod contra nos eſt auocatur, & ſuſpenditur iudex: uel cõiuncta rerum multitudine implicatur, ut non de uno, ſed de pluribus putet ſibi ſententiam eſſe dicendam: ut pro Cluentio fecit Cicero, in qua oratione tenebras ſe offudiſſe iactauit iudicibus Cluentianis, Intelligant nihil me nec ſubterfugere uoluiſſe reticendo, nec obſcurare dicendo. ego me iudices ad eam cauſam accedere, quæ iam per annos octo continuos: uſq; eò, Efficiam profecto. deinde, Verſatam eſſe in iudicio pecuniam conſtat: totum caput, deinde: Vnum quidem nemo erit tam inimicus Cluentio, uſq; ad finem ipſius.

ἀφορισμός. APHORISMOS uel diorismos, deſcriptio rerũ per reprehenſionem, quæ exprimit & corrigit uim ſenten

ſententiæ,& poteſtatẽ. Quare poteſt uideri ſpecies emendationis: nam quæ temere dixeris, reprehendit. Tullius: Quanquam illa non pœna, ſed probibitio ſceleris fuit. Aut alias, Ciues inquam, ſi hoc nomine appellare fas eſt.

ARIA, execratio. Execratio oratoria apud Ciceronem: O ſcelus, ò portentum in ultimas terras exportandũ. Apud Verg. At tibi pro ſcelere exclamat, pro talibus auſis Dij, ſiqua eſt cœlo pietas, quæ talia curet, Perſoluant grates dignas. ἀρά.

DEESIS, obſecratio uel obteſtatio, qua deos oramus, aut homines. Cicero pro Deiotaro: Per dexteram iſtam tuã ego obteſtor, per ego has lacrymas. Pro Roſcio μετὰ ἐρωτείας, Rogat, oratq́; te Chryſogone. Apud deos. Vergilius: Per ſuperos, atq; hoc cœlum. Per ego has lacrymas, dextramq́; tuam te. Plautus: Ita deos obteſtor per ſenectutem tuam. Δέησις.

DIABOLE criminatio & quaſi denuntiatio eorũ quæ futura ſunt. Cice. pro Milone: Erit erit illud profectò tempus, & illuceſcet aliquãdo ille dies, cũ tu ſalutaribus, &c. Terent. Videre uideor iam illum diem quo hinc egẽs profugiet aliquò militatum. Apud Vergilium: Διαβολή.

Sed non antè datam cingetis mœnibus urbem,
Quàm uos dira fames, noſtræq́; iniuria cædis,
Ambeſas ſubigat malis abſumere menſas.

DIANOEA. Hæc figura fit proprie, cum præponitur nõ id quod fieri oportet, ſed quod fit. Tullius: Dolabella autem, quemadmodum homines nobiles decet, ulciſci iniuriam fortiſſime perſeuerat. Vergil. – Furor arma miniſtrat. Applicatur huic figuræ etiam Chria, Διάνοια.

ſententia neceſſaria. ut Cato in Thermum, poſt cenſurã: Qui uetrem ſuum non pro hoſte habet, qui pro Rep. non pro ſua obſonat: qui ſtulte ſpondet, qui cupide ædificat.

ἀποφώνισμα. APOPHONISMA, ſententia reſponſiua. ut apud Cælium, Fac uelis, perficies. Apud Tullium, Literarum radices amaras, fructus dulces.

διαλογισμός. DIALOGISMOS. Hæc fit ita, cum quis ſecum diſputat & uolutat, quid agat, uel quid agẽdum putet. Apud Terent. Quid igitur faciam? Vergil. En quid ago? rurſus'ne procos irriſa priores Experiar? Cic. pro Cluentio: Dem iudicibus? mihi igitur nihil quæretur. In Verrinarũ lib. I. Si populo redimitur, mihi præda de manibus eripitur. Quod eſt igitur remedium? quod?

ἐπίπληξις. EPIPLEXIS ſiue Epitmeſis. Fit hæc figura cum iurgamus aut coarguimus. Cic. in Catilinam: Patêre tua conſilia non ſentis? quem noſtrum ignorare arbitraris? Terent. Non ego te uidi manum, &c. Vergil. Non ego te uidi Damonis peſſime caprum Excipere inſidijs?

ὁμοίωσις. HOMOEOSIS eſt, cum per ſimilitudinem res præſtantur. Cuius ſpecies ſunt primæ duæ, paradigma & parabole. Harum diſtantia eſt, quòd paradigma facit uera exempla, parabole ficta oſtendit.

παραδείγματος. PARADIGMATOS quidem triformis eſt ratio. Nam exemplum aut perſonas tantũ exhibet ſine ſermone, aut ſermonem ſine perſonis, aut ſimul utrunq;. Perſonam ſine ſermone. ut Cic. in Miloniana, Neq; enim potuiſſet aut Ala ille Seruilius, aut P. Naſica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut me conſule ſenatus non nefarius haberi, ſi ſceleratos ciues interimere nefas eſſet. Sermonem

monem ſine perſona.Catonis eſt dictum, Pedibus cõpen= ſare pecunia. Sermonem pariter & perſonam. Cicero pro Roſcio: Eſt'ne hoc illi dicto atque facto Fimbriano ſimillimum. Rurſum parabola & ipſa tripertita eſt, per Icona,homœon,epagogen.

ICON *fit, cum perfectæ formæ ſimiles conferuntur. Vergil. Talis Amyclei domitus Pollucis habenis. Cicero de P. R. Mare, quod ſua natura tranquillum ſit, uentorum ui agitari & conturbari ſolet: ſic Populus Romanus.* Εἰκών.

HOMOEON. *Hæc figura fit, cum ex partibus aliqua ſimilitudo colligitur. ut Verg. Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora tenebat. Etiam in actu fit homœon: ut idẽ Verg. Non aliter, quàm ſi immiſſis ruat hoſtibus om= nis Carthago, aut antiqua Tyros. Cic. in Verrinis ait ſuccinctam Scyllam lupis & canibus, cum pubetenus uir= go ſit, ſimilem eſſe Verris & comitũ illius, quibus quaſi canibus ſuccinctus ſit.* Ὁμοιον.

EPAGOGE. *Fit hæc ex rerum ſimilium collatione uel argumentorum, ſalua tamen ſimilitudine. Rerum ut Vergil. Improuiſum aſpris ueluti qui ſentibus anguẽ Preſſit humi nitẽs. Et Cic. pro Roſ. comparat occupatio= nes Iouis Optimi Maximi Syllæ rebus geſtis propius. Argumentorum autem, ut Lucretius: Nam ſi tu fluctus, undasq; è gurgite ſalſo Tollere decreris, uentũ prius Hæ matium tu, Ventum inquam tollas t.c.q.i.l.* Ἐπαγωγή.

EPITROPE. *Hæc fit cum figurate concedimus, quod uelit quis faciat. ut Verg. Aeneid. IIII. I, ſe= quere Italiã uẽtis, pete regna p undas. Et Cic. i Catilinã:* Ἐπιτροπή.

Quid expectas? proficiſcere, nimium iam diu te imperatorem illa tua Manliana caſtra deſiderant.

εὐχή. EVCHE, precatio. Verg. Da nunc Tymbre pater ferro, quod mißile libro. Cic. in Catilinam, cum inuocat Iouem ad pœnam coniuratorum. Atq; ita concludit, Aeternis ſupplicijs uiuos mortuosq; mactabis.

ἐπιφώνημα. EPIPHONEMA. Hæc ſententia in fine expoſitæ rei cum affectu enuntiatur. Cicero in Verrinis, Non uitam liberam, ſed mortis celeritatem precabantur.

ἐνθύμημα. ENTHYMEMA fit, cum periodos orationis ex contrarijs ſententijs aſtringitur. Apud Lucilium: Si me neſcire hoc neſcis, quod quærere dico, quare diuinas quicquam, aut quare debes ipſe & ſi ſcis q. b. e. ſcire hoc d.t. Cicero in diuinatione, Tamen hic operã tuam pollicebere, qui te neq; uelle ſua cauſa, nec ſi uelis, poſſe arbitrantur?

ἐπανάληψις. EPANALEPSIS. Repetitio ſententiæ propter aliam neceſſariam cauſam, non ut fit in figuris elocutionis, ſed apud Lucilium, Vel conſilio ueſtrum quod dicitis, olim cœlicolæ adfuiſſemus priore concilio. Cicero pro Rabirio: Libenter ſi eſſet integrum profiterer idem, Saturninum C. Rabirij manu interfectum: nihil me iſte clamor commouet. uſque huc, Libenter inquam profiterer.

προεργασία. PRVPERGASIA, uel paraſceue, præmunitio. Qua antè utimur, ut confirmet id quod ſubiecturi ſumus. Vt ſi teſtem producturi ſumus, antè eſt, ut ei fidem habendam eſſe doceamus. Quare eſt uelut generalis locus, & tractatus communis eſt. Cicero pro Milone antè

præmu

præmunit licere hominem occidere, & tum ſubitò occiſum P. Clodium *iure & ſine inuidia: cum ita dicit,* Negant intueri lucem eſſe fas ei, qui à ſe eſſe hominem occiſum fateatur. In qua tandem ciuitate hoc homines ſtultiſſimi diſputant?

PARRHESIA, *oratio libera, quam* Cornificius Παῤῥησία. *licentiam uocat.* Cicero pro Ligario: Suſcepto bello Cæſar, geſto etiam ex parte magna, nulla ui coactus, & cætera. Cōtrà idem, Quid aliud egimus Tubero, niſi ut quod hic poteſt, nos poſſemus? *Interdum adulanter inducitur. Hic adulatio eſt pro arbitrio perduellionis libere, cum ait:* Quin continetis uocem ueſtram, indicem ſtultitiæ, teſtem paucitatis?

PARADOXON *ſiue hypomone, ſuſtentatio* Παράδοξον *uel inopinatum. Hoc ſchema ſuſpendit ſenſum, deinde ſubijcit aliquid cōtra expectationem auditoris, ſiue magnum, ſiue minus: & ideo ſuſtentatio, uel inopinatum dicitur.* Cicero pro Ligario: Hinc prohibitus, nō ad Cæſarem, ne iratus: non ad domum, ne iners: non aliquam in regionem, ne cōdemnare cauſam illam, quam ſecutus eſſet, uideretur. & cætera.

PROTROPE, *adhortatio ad aliquam rem eſt,* προτροπή. *& palilogia.* Verg.–Nunc nunc inſurgite remis Hectorij ſocij. Cicero in Verrem III. actionis libro, Vos quod ad ueſtram famam ſenatusq; conſulta pertinet Iudices, proſpicite. atq; conſulite, & cætera.

PATHOPOEIA. *Hæc uel odio, uel iracundia,* παθοποιΐα. *uel miſericordia commouetur.* Vergil.–domus interior gemitu miſeroq; tumultu Miſcetur. Cicero pro

Roſcio: Nemo erat qui non ardere illa omnia mallet, quàm uidere in Sex. Roſcij *bonis dominantem, & cætera. Apud eundem in* Verrem: *Clamor interea fit tota domo, pugna inter ſeruos* Rubrij *atq; hoſpitis, &c.* Alio *loco: Cædere ianuam ſaxis, inſtare ferro, ligna & ſarmēta circundare, ignemq;, &c.*

Σύγκρισις. SYNCRISIS, *ſiue antitheſis, comparatio rerum atq; perſonarum inter ſe cōtrariarum.* Vt, Ego pro*iector, quòd tu peccas:* Tu *delinquis, ego arguor pro malefactis:* Helena *redeat, uirgo pereat innocens: tua reconcilietur uxor, mea negetur, filia mea. Cicero pro Muræna:* Vigilas *tu de nocte, ut conſultoribus tuis reſpondeas: ille ut mature quò intendit, cum exercitu perueniat, & cætera.* Item *in* Verrinis: *Iſte multò ſceleratior & nequior quàm ille* Adrianus, *aliquātò etiā felicior fuit, &c.*

ὑπερβολή. HYPERBOLE, *alijs ſchema, alijs tropus uidetur.* C*æterum fit, cum excedit ueritatem ſententia, apud* Vergilium:

Qui candore niues anteirent, curſibus auras.

IVLII RVFINIANI DE Schematis Lexeos.

όληψις. PROLEPSIS *eſt ſchema* λέξεως, *id eſt, figura elocutionis, cum antè numerus redditur uerbis, quàm res perſonæ affiniantur. ut,* Nec *tantum* Rhodope *miratur & Iſmarus* Orphea. Et, Inter*ea reges, ingenti mole* Latinus *Quadrijugo uehitur*

curru

curru,&c. Latinè appellari poteſt Præſumptio, uel Anticipatio.

SYLLEPSIS *eſt, cum duabus diuerſisq́; ſententijs & rebus unum datur uerbum, minime utriſque conueniens: ut, Incluſos utero Danaos & pinea furtim Laxat clauſtra Sinon. Laxat enim ad Danaos referri nõ poteſt, ſicut ad clauſtra. Et, Optime Graiugenûm, cui me fortuna precari, Ac uitta comptos uoluit prætendere ramos. Nõ enim ſicut cui prætẽdere ramos, ita & cui precari poteſt uideri ratione connexũ. Et, His quidam ſignis atq; hæc exempla ſecuti. Hæc Latine dicitur Correptio.* Σύλληψις. Correptio

ZEVGMA *eſt, cum unum uerbum communiter multis ſententijs iungitur ad omnes pari ſignificatione pertinens, & adnexum: ut, Aeneas urbe & ſocijs & claſſe relicta. Latine hæc figura dicitur Ligatio uel Adnexio.* Ζεῦγμα.

HYPOZEVXIS *eſt, cum ſingulis rebus, ſententijsq́; ſingula debita uerba iunguntur: ut, Procumbunt piceæ, ſonat icta ſecuribus ilex, Fraxineæq́; trabes, cuneis & fiſsile robur Scinditur, aduoluunt ingentes mõtibus ornos. Et, Venit hyems, teritur Sicyonia bacca trapetis, Glande ſues redeunt læti, dant arbuta ſyluæ, Et uarios ponit fœtus autumnus, & alte Mitis in apricis coquitur uindemia ſaxis. Hæc figura Latine uocabitur Subiunctio, uel Subinſertio, uel Subnexio.* Ὑπόζευξις.

EPANALEPSIS *eſt, eorundem uerborum ſimul poſitorũ. eiuſdemq́; ſententiæ poſt multa interiecta, cũ aliqua periodi cõcluſione facta repetitio. ut, Huc pater ô Lenæe, tuis hic oĩa plena Muneribus, tibi pãpineo* Ἐπανάληψις.

grauidus autumno Floret ager, ſpumat plenis uindemia labris, Huc pater ò Lenæe ueni. Et, *Paſtorũ muſam Damonis & Alpheſibœi Immemor herbarum, quos eſt mirata iuuenca, Certantes quorum ſtupefactæ carmine lynces: Damonis muſam dicemus & Alpheſibœi.* Latine hæc figura dicitur Reſumptio uel Repetitio.

ἐπαναφορά. EPANAPHORA *eſt, cum ab eodem uerbo plures inchoatæ ſententiæ incipiũt: ut, Hic gelidi fontes, hic mollia prata Licori, Hic nemus, hic ipſo tecũ cõſumerer æuo.* Et, *Num fletu ingemuit noſtro? num lumina flexit? Num lacrymas uictus dedit? aut miſeratus amantẽ eſt?* Et, *-bellum ò terra hoſpita portas, Bello armantur equi, bellum hæc armenta minantur.* Et, *Ver adeo frondi nemorũ uer utile ſyluis.* Et, *Nocte leues ſtipulæ melius, nocte arida prata Tondentur, noctis lentus non deficit humor.* Latine hæc figura dicitur Regreſsio.

Παλιλογία. PALILOGIA *eſt, cum uerbum quod in prima ſententia eſt ultimum, in ſequente fit primum: ut, Pierides uos hæc facietis maxima Gallo, Gallo, cuius amor tantum mihi creſcit in horas.* Et, *Addit ſe ſolam timidusq́; ſuperuenit Aegle, Aegle Naïadum pulcherrima.* Et, *Deiphobum uidi lacerum crudeliter ora, Ora manusq́; ambas.* Et, *Concurrunt Tyrrhenæ acies atq; omnibus uni, Vni odijsq́; uiro telisq́; frequentibus inſtant.* Latinè dicitur Iteratio.

ἀναδίπλωσις. ANADIPLOSIS *eſt eiuſdem uerbi cõtinuatim repetitio: ut, Et longum formoſe uale, uale inquit Iola.* Et, *O' Corydon Corydon, quæ te dementia cepit?* Et, *Me me, adſum qui feci, in me conuertite ferrum O'*

Rutili.Latinè dicitur hæc figura Duplicatio.

EPANADIPLOSIS *eſt, cum idem uerbum in eadem ſententia & primum eſt, & extremum: ut,* ἐπαναδίπλωσις. *Cæſaris & famam & nomẽ tot ferre per annos,* Tithoni *prima quot abeſt ab origine Cæſar.*Et, *Antè nouis rubeant,quàm prata coloribus antè.*Et, *Vnum illud tibi nate dea, proq́; omnibus unum.*Et, *Ipſum obteſtemur, ueniam oremus ab ipſo.*Latinè dicitur Incluſio.

METATHESIS *eſt, cum quod antè dictum eſt, poſtponitur: & quod pòſt dictum eſt,antepo nitur:ut,*Eripis *ut perdas, perdis ut eripias.* μετάθεσις

DIACOPE *ſiue diaſtole eſt, cum inter duo eadẽ uerba diuerſum ponitur aliquid mediũ: ut, Culpatus'ue* Paris,*diuûm inclemẽtia diuûm.*Et,*Duc age duc ad nos.*Et,*Scis* Proteus, *ſcis ipſe. Latinè dicitur Separatio.* διακοπή.

PARENTHESIS *eſt, cum ordinata ac legitima ſententia interrumpitur per alienum extrinſecus,diuerſamq́; ſententiam.*Vt, *Vare tuum nomen, ſuperet modo Mantua nobis (Mantua uæ miſeræ nimium uicina Cremonæ)* Cantantes *ſublime ferent ad ſydera cygni.* Et,*-ipſiq́; ſuos iam morte ſub ægra (* Dij *meliora pijs, erroremq́; hoſtibus illum)* Diſciſſos *nudis laniabant dẽtibus artus. Latinè hæc figura dicitur* Interruptio *uel* Interiectio. παρένθεσις

ANTITHESIS *eſt,cum uerbum uerbo pari poteſtate per contrarium redditur:ut, Seq́; nouo ueterum deceptum errore locorum.*Et, *Voluitur ille uomens calidum de pectore flumen* Frigidus.*Latinè* Contrarium *uel* Oppoſitio *poteſt dici.* ἀντίθεσις.

Ploce,

πλοκή. PLOCE, *cum idem uerbum ſententia'ue ad conſummationē ſuperioris retorquetur, ut,-uos ò quibus integer æui Sanguis,ait,ſolidæq́; ſuo ſtant robore uires, Vos agitate fugā. Quale forſitan & illud accipi poteſt, Pan etiam Arcadia mecū ſi iudice certet, Pan etiam Arcadia dicat ſe iudice uictum. Latine dicitur* Implicatio *uel* Retractatio.

παρονομασία. PARONOMASIA *eſt, ſecundum prædictum uerbum, poſitio alterius, ipſo poſcente ſenſu: ut apud* Terentium: *Nam inceptio eſt amētium, haud amantium.* Et, *Tibi erunt parata uerba, huic homini uerbera. Quale illud poterit forſitan uideri*, Nec *quiſquam errantes acies letumq́; ferenteis Suſtentare?* Contrà & *aliter, -puppesq́; tuæ, pubesq́; tuorum. Latine dicitur* Adnominatio *uel* Adfictio.

παρηγμένον. PAREGMENON *eſt æque ſimilis figura, cū ex ſupradicto uerbo aliud deriuatur: ut, -ultro* Ipſe *grauis, grauiterq́; ad terram pōdere uaſto* Concidit. Et, *Oppetere ingentem, atque ingenti uulnere uictum*. Et, *Voce uocat Hecaten.* Ire *iter, & caſtris audebit uellere ſigna.* Latine *Deriuatio dicitur.*

ἐπανόρθωσις. EPANORTHOSIS *eſt, cum ſupradictum uerbum uerbo ſequenti corrigitur: ut,* Non *ſubripere, hoc eſt furari.* Latine *dicitur* Correctio.

ἐπιστροφή. EPISTROPHE *eſt, cum in eadem uerba plures ſententiæ deſinūt. ut* Horatius: *Si curtatus inæquali tonſore capillos Occurri, rides: ſi forte ſubucula pexæ Trita ſubeſt tunicæ, uel ſi toga diſſidet impar* Rides. *Quale forſitan ſit, -Similis ſi cura fuiſſet,* Tunc *quoq́; fas*

nobis

nobis Teucros armare fuiſſet. & , Impius ante aras, atq; auri cæcus amore. Latine dicitur Reuerſio.

CLIMAX *eſt, cum ex re in rem gradum tibi ſententiæ faciunt: ut, Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo Prædixit, & cætera. & , Torua leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam: Florẽtem cytiſum ſequitur laſciua capella.* Latine hæc figura dicitur Gradatio. κλίμαξ.

ASYNTHETON *eſt, uel dialyton, cum ratio nulla coniunctione connexa, uelut ſolutæ ſententiæ regulam ſeruat: ut, Conſiliunt, partim galea clypeoq; reſultant. Irrita deflexit, partim ſtringentia corpus. Et, -ipſi numerumq; modumq; carinis.-nos æra, manus, naualia demus.* Latine dicitur Diſſolutio uel Inconnexio. *Aſyntheton autem modo per ſingula uerba fit: -æra, manus, naualia demus.* Et, *Hæc eadem, Aenea, terram, mare, ſidera iuro.* Modo per plura uerba, & per ea quæ Græci uocant κῶλα: *Denique quid ueſper ſerus uehat, unde ſerenas Ventus agat nubes: quid cogitet humidus Auſter, Sol tibi ſigna dabit.* Et, *-nube caua ſpeculantur amicti, Quæ fortuna uiris, claſſem quo littore linquant, Quid ueniant, &c.* Ἀσύνθετον

EPANODOS *eſt, cum duabus breuibus, pluribus'ue propoſitis, ad ſingularẽ enarrationem recurritur: ut, -diuellimur inde, Iphitus & Pelias mecum, quorum Iphitus æuo Iam grauior. Et, Protinus Orſilochum, & Buthen, duo maxima Teucrûm Corpora, ſed Buthen auerſum cuſpide fixit Loricam galeamq; inter, quà colla ſedentis Inuenit.* Latine dicitur Euerſio uel Egreſſio. Ἐπάνοδος

ραδιασολή. PARADIASTOLE eſt, cum ſimiles res diſcernuntur, contrarijs redditis: ut, Triſte lupus ſtabulis, maturis frugibus imbres, Arboribus uenti, nobis Amaryllidis iræ. Et, Dulce ſatis humor, depulſis arbutus hœdis. Lenta ſalix fœto pecori, mihi ſolus Amyntas. Latinè dicitur Diſcriminatio.

ίρεσις. DIAERESIS eſt figura ſermonis, cum rerum diſtributione: ut, Hic Dolopum manus, hic ſæuus tendebat Achilles: Claßibus hic locus, hic acies certare ſolebant. Et, Hic portus alij effodiunt. Et, -ſtrit enſe grauem Tymbræus Oſirim. Hæc Latinè dicitur Diſtributio uel Deſignatio.

ἀντίστασις. ANTISTASIS eſt, cum idem uerbum repetitur in contrario ſenſu. Vt, Vna ſalus uictis, nullam ſperare ſalutem. Et, Ex illo Corydon Corydon eſt tempore nobis. Hæc Latinè dicitur Intentio.

μετάστασις. μετάβασις. METASTASIS eſt, uel metabaſis, cum à loquentis perſona ad perſonam tranſitum facimus, ratione aliqua uel adfectu. Vt, Non hæc Euandro de te promiſſa parenti Diſcedens dederam. Deinde, Et nũc ille quidem ſpe multũ captus inani, Fors & uota facit. Deinde, Infelix funus nati crudele uidebis. Hi noſtri reditus expectatiq; triumphi. Hæc mea magna fides, at nõ Euandre pudendis Vulneribus pulſum aſpicies. Hæc figura dicitur Variatio, aut Tranſitus.

ἀποστροφή. APOSTROPHE eſt, cum ſermo à recto & inſtituto ordine in diuerſum ac cõtrarium uertitur. Vt, Scipiadas duros bello, & te maxime Cæſar. Et, Impulerit ferro. Latinè Conuerſio dicitur. Inter metaſtaſin & apo

& apoſtrophen hoc intereſt, quòd metaſtaſis perſonarũ multiplicata uariatio eſt, & ab alia ad aliam, deinde rurſus ad aliam, & deinceps gradatim tranſitur. At in anaſtrophe commutatio eſt perſonæ ferè unius.

SVnt autẽ & aliæ figuræ, mirè orationi decus ornamentumq; tribuentes. Hoc à ſuperioribus diſcere te oportet, quòd non tam ſententiarum perpetuarum ſunt figuræ, quàm ſingulorum penè uerborum, & quòd carent appellationibus proprijs. Fiunt autem per caſus, numeros, præpoſitiones, genera, perſonas, & ſi qua ſunt talia. Quorum exempla, ſummatim breuiterq; ponentur.

FIgura per caſum genitiuum. Vt ſi dicamus, Conſtans uir animi, pro conſtantis animi. Item alia: Vt ſe habent iſta, Isq; amens animi, & rumore accenſus amaro. Et, At non infelix animi Phœniſſa. Et, Actutum pius Aeneas atque integer æui Aſcanius. Et, Hic annis grauis atque animi maturus Aletes. Et ſi quis dicat Pecuniæ diues: Vt, inſula diues opum. Et, Diues equûm, diues pictai ueſtis, & auri. Item, -quas illi læta bonorum. Et, Expediunt feſſi rerum. Et, Ille mihi ante oculos felix functusq; laborum, Egregiusq; animi. Et ſi qua ſunt talia.

FIgura per datiuum: ſi quis dicat, Timeo illi, pro timeo pro illo, & talia. Vt, -& pariter comitiq;, onerique timentem. Et, Tunc decuit metuiſſe tuis. Et, Hæc cum Dardanio Aeneæ miranda uidentur: pro ab Aenea. Et quæ antiquè dicta ſunt, -cui nomen aſylo Romanum eſt. Et, -cui nunc cognomen Iulo Additur. Et, Cui

Rhemulo cognomen erat. Et, -cui nomen Amello Fecêre agricolæ. Item ſi qua ſunt talia.

FIgura per accuſatiuum. Vt ſi quis dicat, Togam fuſus, pro fuſam togam habens. Vt ſe habent iſta, -nodoq; ſinus collecta fluenteis. Et, -ſciſſa comam. Et, -roſeas laniata genas. Et, -tumidusq; nouo præcordia regno. Et, Inflatum heſterno uenas, ut ſemper, Iaccho. Et, Ecce manus iuuenũ interea poſt terga reuinctũ. Et quæ antique dicta ſunt, -forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit. Et, -numeros memini, ſi uerba tenerem. pro numerorum memini. Item ſi qua ſunt talia.

FIgura per ablatiuum. Si quis de quopiam dicat, Magnus uirtute, bonus bello, pro in bello. Et, Erectus capite incedit. Vt ſe habent iſta: Purpureis criſtis iuuenes auroq; coruſci. Et, Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore Nymphæ. Et, Vnde prius lætum ſiliqua quaſſante legumen. Et, -tereti ſubnectit fibula gemma. Et, -qui forte tapetibus altis Extractus. Et, Quam tua ni ſpoliata armis excuſſa magiſtro Deficeret. Item ſiqua ſunt talia.

FIgura Græca, aut caſuum uarietas. ut, Montibus in noſtris ſolus tibi certet Amyntas. Et, -placidóne etiam pugnabis amori? pro tecum certet, & cum amore pugnabis. Et, Reddidit una boum uocem. pro una è bubus. Item ſimilia. Aut præpoſitione detracta. Vt, -maria aſpera iuro. Et, - Tyrrhenum nauigat æquor. Item quæ ſunt talia.

FIgura per perſonas. Vt ſi quis dicat, Vos ſuperi Iupiter precor. Vt ſunt iſta, Vos ô Calliope precor

aſpirate

aſpirate canenti. Et, *Vos ò patricius ſanguis, quos uiuere fas eſt,* Item *ſiqua ſunt ſimilia.*

F*Igura per numeros, ut ſi quis dicat,* Populus *locuti ſunt:ut,* Pars *in fruſta ſecant, uerubusq́; trementia figunt.* Et, Pars *calidos latices & ahena undantia flāmis* Expediunt. Et, *-ſæuitq́; animis ignobile uulgus,* Tum *pietate grauem ac meritis ſi forte uirum quem* Conſpexêre,*ſilent.*Et *ſiqua ſunt ſimilia.*

F*Igura per præpoſitionem* A D, *modo ſemel & ſimplicem poſitam.*Vt *ſi quis dicat,*Aduoluor *illum, pro ad illum uoluor.* Et Accedo *illum, quaſi ad illum accedo.* Vt, Explorare *locos, quas uento acceſſerit oras.* Et, Nuntia *fama ruit, matrisq́; adlabitur aures* Euryali. Et, Electram Graij *perhibent* Atlantide *cretam,* Aduehitur Teucros. Modo *ſimpliciter relatam.* Vt, Quin *adeat ad eum? aggrediar ad illum.*Et *ſiqua ſunt talia.*

F*Igura per præpoſitionem* I N, *modo ſemel ſimplicem elatam.* Vt, Inflauit *cum pinguis ebur* Tyrrhenus *ad aras.* Et,Tu *calamos inflare leues. quaſi in calamos & in ebur flare.* Et *apud* Salluſtium: Atq́; *eos à tergo incurrerunt. Quaſi in eos incurrerunt.* Modo *dupliciter elatam:*Vt,Induerat Circe *in uultus, ac terga ferarum.*Et,Induit *in florem, & ramos curuauit olentes.*Et, Hunc *ut prona iugo læuum incumbebat in amnem.* Et *ſiqua ſunt ſimilia.*

F*Igura per uerborū qualitatē:ut,* Caput *uelor,pro caput uelo,aut capite uelor: ut* Capite *ante arā* Phrygio *uelabar amictu.* Et, *-flaua caput nectūtur oliua.* Et, Pecudū *fuluis uelatur pectora ſetis.*Et,*-aut pacē* Troiano *ab*

no ab rege petendũ. & populare penates, pro populari.

FIgura per modos temporum. Vt cum dico, Libens fecero, pro faciam: ut, -donec me flumine uiuo Abluero.

FIgura per aduerbiorum qualitatem. Vt cum dicimus, Ad illum cœno, Ad uillam moror, pro apud uillam. & terræ iacet, pro in terra. & domi militiæq́; res geſtas. Et, Cuius domo nota eſt annos ſexaginta natus. Et, -tot annos Bella gero.

FIgura per pleonaſmon: ut, Antiquum obtines. ut mortem occumbere, & obire diem, & uiuere uitam, & pugnare pugnam, & ire iter, & oculis uidere, & uoce uocans Hecaten. &, -Hunc oro ſine me furere antè furorem. Ac ſiqua ſunt talia.

FIgura per eclogam uerborum. Vt cum enuntiamus bonos dicere, fortes pugnare. Item, Da bibere, da cœnare. & Donat habere uiro. Et, Cunctaturq́; metu, letumq́; inſtare tremeſcit. Et-da ſternere corpus. Et-da iungere dextram. Et -quale per æſtum Dulcis aquæ ſaliente ſitim reſtringere riuo, Et, Hoc ridere meum tam nil, nulla tibi uendo, Iliade.

FIgura per eclogam aduerbiorum: ut cum dicimus, Magnum tonat, tumidum loquitur, -magnumq́; fluentem Nilum. Et, -utq́; uolutus Ad terras. Et immane ſonat per ſaxa. Et, nec longum lætabere. Et, -graue olentis Auerni. Et, -horrendum intonat armis. Et, Nauibus infandum amiſſis. Et ſiqua ſunt talia.

FIgura per pronomina: ut, Nullus dixeris, pro ne dixeris. Et, Quis mulier.

Figu

FIgura per eclogam nominum, Vt cum dicimus, Bonum eſt uirtus, malum infamia. ut, Dulce ſatis humor, depulſis arbutus hœdis. Et, Tale tuum carmen nobis diuine poëta: Quale ſopor feſſis in gramine.

IVLII RVFINIANI DE Schematis Dianœas.

SCHEMATA Dianœas, id eſt, figuras ſententiæ intuentes aliqua à uulgari & ſimplici oratione mutuamur. Cum omnes autem quæ orationem ſenſu figurant, generaliter figuræ communiterq; dicantur: hæc tamẽ proprie figura, ac ſpecialiter dicitur, quæ in ſcholis uulgò uſurpatur.

Controuerſiæ figuratæ.

HVius ſpecialis figuræ uſus multiplex.

Vnus, ſi dicere manifeſte parũ tutum eſt, ut dicitur in eum figurate, qui ſub conditione abolitionis tyrannidem depoſuit. Vt, Præſens tutor libertatis, neque tamen immemor legum ſum, quæ mihi ſemper ſacroſanctæ fuerunt. Hoc enim aduerſarium percutit, cui non ſemper ſacroſanctæ leges fuerunt. Quale eſt illud forſitan apud Vergilium: Tuq; prior, tu parce, genus qui ducis Olympo, Proijce tela manu ſanguis pius. Nam ſimul cauſam belli ciuilis oſtendit in Cæſare fuiſſe, dum dicit priorem illum debere parcere: ſimul dolorem confeſſa, & in iudicio ſuo quærit, tanquam ideo parcere prior debeat, quia ſit Anchiſæ pius ſanguis, & ab Olympo ge-

nus ducat.

Secundus harum uſus eſt figurarum, cùm quid oblique nuntiamus, quia dicere palàm minime licet, & inhoneſtũ eſt: ut ferè figuræ in alterum patrem fiunt, cum quis hoc modo patrẽ uellicat: Placuit cõditio patrimonij meo etiã patri, & ago illi gratias, quòd uxorem hanc potiſſimum ducere hortatus eſt. Per hæc enim ſoceri cupido in aurum detegitur. Quale forſitan Vergilianũ illud poſſit uideri, Illum non populi faſces, nec purpura regum Flexit, & infidos agitans diſcordia fratres, Nõ res Romanæ perituráq; regna, Nam illum ſentit & dicit. Non res Romanæ, peritura & regna flexêre. Verum per res Romanæ, latent imperia dicta: ſed regna uocat, tanquã non de imperijs Romanis iſta dicantur, ſed de quibuslibet regnis.

Tertius uſus eſt harum figurarum, quæ gratia uenuſtatis adhibẽtur, qui tamẽ Ironiæ eſt proximus. Sed eiuſmodi figuræ quibus iuuenes in ſchola laſciuiũt, ut Cornutus ait, minime naturæ ſunt, & parum ingenuis foroq; conueniunt. Nam in his quæ prodeſſe aut obeſſe cauſæ uidentur, cur quod nolis intelligi, dicas? aut cur quod uelis intelligi, inuoluas?

Προκατάληψις.

PROCATALEPSIS *eſt ſchema dianœas, cum id quod aduerſarius arrepturus eſt, aut quæ obiecturus, præſumimus ac prædicimus. Vt illud, – neq; me Argolica de gente negabo: Hoc primum. Et, – ſcio me Danais è claſſibus unum. Et, – bello Argolicos fateor petijſſe penates. Latinè hæc figura dicitur Præceptio uel Anticipatio.*

Προκατασκευή.

PROCATASCEVE *eſt procatalepſi proxima, cum rei de qua acturi ſumus, colorem præparamus,*

mus, atq; prætendimus. Vt *in illo,* Anna *ſoror, quæ me ſu=ſpenſam inſomnia terrent. uſque, -*Q*uæ bella exhauſta canebat.* Nam *primo de inſomnijs queſta eſt, demum mi=rari ſe uirtutē hoſpitis dixit, & ueram fidem eſſe, à dijs illum genus ducere: miſereri etiā caſus & errores, ut ue=recundius poſtea de amore fateretur, quaſi in affectum hoſpitis uel inſomnijs, uel admiratione calamitatis indu=cta ſit.* Hæc *figura dicitur* Latine Præparatio.

ANTHYPOPHORA *eſt figura ſententiæ, qua aduerſariorum nobis ſententias ac dicta propo nimus, ac ſubſtituimus, in hoc tantum, ut illis reſpondea=mus. ut,* Verum *anceps pugnæ fuerat fortuna, fuiſſet,* Si *periſſe ſatis ſemel eſt, peccare fuiſſet* Antè *ſatis.* Latine *dicitur* Oppoſitio *uel* Obiectio. Ἀνθυποφορά.

SCHESIS *proxima figura eſt anthypophoræ, qua aduerſariorū affectum quemlibet fingimus cui re=ſpondeamus.* Vt *in illo,* Indignum *eſt* Italos Troiam *ſuc=cendere flammis* Naſcentem, *& patria* Turnum *cōſiſte=re terra:* Q*uid face* Troianos *atra uim ferre* Latinis? Hæc *non ita* Iuno *propoſuit, quaſi manifeſte* Venus *in=dignum eſſe dixiſſet, ſed quaſi indignum eſſe* Veneri *fin=geret, uel ſuſpicaretur.* Hæc Latine *dicitur* Adfictio. Σχέσις.

ANASCEVE *eſt ſuperiorū proxima figura, qua ab aduerſarijs maxima propoſita deſtruimus ac re=darguimus uelut falſa, ut:* Nunc Lyciæ *ſortes, nunc &* Ioue *miſſus ab ipſo* Interpres *diuûm fert horrida iuſſa per auras,* Latinè *dicitur* Deſtructio *uel* Euacuatio. Ἀνασκευή.

EPITIMESIS *eſt etiam proxima figura, cum aduerſarium iiſdem uerbis quibus ab eo laceſſiti ſu=* Ἐπιτίμησις.

mus percutimus.Vt in illo, Quis deus in fraudem, quæ dura potentia noſtra? Vbi hic Iuno, quia ſcilicet Venus dixerat: Si nulla eſt regio Teucris, quam det tua coniunx Dura.Et, Bis capti Phryges. Latine dicitur Obiurgatio.

Ὑπόκρισις. HYPOCRISIS *eſt figura ſententiæ, cum aduerſarium geſtu, & pronuntiatione extollimus, uel abijcimus, & ſpernimus. Vt in illo, Cantando tu illum? aut unquam tibi fiſtula cera Iuncta fuit? Additur enim, Tu nullus alioqui, illum autem magnum in canendo. Et, Non ego Daphnin Iudice te metuam. Qui ſcilicet mihi iniquus eſt, & non recte iudicaturus. Latine dicitur Pronuntiatio.*

Εἰρωνία. IRONIA *eſt figura ſententiæ, laudis, & orationis, & magnificandi, non ſine deriſu in contrarium tendens: Vt in illo,*

Egregiam uero laudem, & ſpolia ampla refertis
Tuq́; puerq́; tuus: magnum & memorabile numen,
Vna dolo diuûm ſi fœmina uicta duorum eſt.
Latine dicitur Diſsimulatio uel Irriſio.

Χλευασμός. CHLEVASMOS *eſt ironiæ proxima figura, cum aliquos amara oratione non ſine deriſu inſectamur ac lædimus. ut, En agros, & quam bello Troiane petiſti Heſperiam, metire iacens. Et, Huc age, nulla tuos currus fuga ſegnis equorū. Latine dicitur Inſectatio. Inter chleuaſmon autem & ironiā hoc intereſt, quòd ironia ſpecie magnificationis illudit, & dum laudat irridet. At Chleuaſmos palàm cum amara inſultatione caſtigat.*

Σαρκασμός. SARCASMOS *chleuaſmo proxima eſt, & ſimilis figura, qua aduerſariorū facta cum exacerbatione admiſsi*

admiſsi eorum laceſsimus, ut apud Salluſtium de Syllæ crudelitate: ut in M. *Mario, cum fracta prius crura per artus, expiraret.* Latinè *dicitur* Exacerbatio.

ANTIPHRASIS *eſt figura ſentẽtiæ, cum quæ-* Ἀντίφρασις.
dam negamus nos dicere, & tamen dicimus, ut apud Lucilium, N*on tango quòd auarus homo eſt, quodq́; improbus omitto.* Et *apud* V*ergiliũ,* Q*uid memorem portus,* L*ucrinoq́; addita clauſtra?* Latine *dicitur* Omiſsio.

ETHOPOEIA *eſt alienorum affectuum qua-* Ἠθοποιία.
liumlibet, dictorũq́; imitatio non ſine reprehenſione. Latine *dicitur* Figuratio *uel* Expreſsio.

PROSOPOPOEIA *eſt figura ſententiæ, qua* Προσωπο-
oratio ad alicuius perſonæ orationem imitandam re- ποιία.
torquetur. Latine *dicitur* Deformatio *uel* Effiguratio.

ENERGIA *eſt figura qua formam rerum & ima-* Ἐνέργεια.
ginẽ ita oratione ſubſtituimus, ut lectoris oculis præſentiaq́; ſubijciamus.

FINIS.

IN LIBRVM
SCHEMATVM ET TROPO=
rum Bedæ Preſbyteri Præfatio.

SOLET *aliquoties in ſcripturis ordo uerborũ cauſa decoris aliter quàm uulgaris uia dicendi habet, figuratus inueniri: quod Grammatici Græce* σχῆμα *uocant, nos habitum, uel formam, uel figuram recte nominamus: quia per hoc quodammodo uertitur & ornatur oratio. Solet iterũ tropica locutio reperiri, quæ fit translata dictione à propria ſignificatione ad non propriam ſimilitudinem, neceſſitatis aut ornatus gratia.* E *quidem gloriantur Græci talium ſe figurarũ uel troporum fuiſſe repertores. Sed ut cognoſcas dilectiſſime fili: cognoſcant item omnes qui hæc legere uoluerint, quòd ſancta ſcriptura cæteris omnibus ſcripturis non ſolum autoritate, quia diuina eſt: uel utilitate, quia ad uitã ducit æternam: ſed & antiquitate, & ipſa præeminet poſitione dicendi:* P*lacuit mihi collectis de ipſa exẽplis oſtendere, quia nihil huiuſmodi ſchematũ, ſiue troporum ualẽt prætendere ullis ſeculis eloquentiæ magiſtri, quam non illa præceſſerit. Sunt autem multæ ſchematum ſpecies, ſed eminentiores hæ:* Πρόληψις, Ζεῦγμα, Ὑπόζευξις, Σύλληψις, Ἀναδίπλωσις, Ἀναφορά, Ἐπανάληψις, Ἐπίζευξις, Παρονομασία, Σχέσις ὀνομάτων, Παροίμιον, Ὁμοιοτέλευτον, Ὁμοιόπτωτον, Πολύπτωτον, Εἱρμός, Πολυσύνδετον, Διάλυτον.

1 Πρόληψις, *præoccupatio ſiue præſumptio dicitur.* Figu*ra eſt*

ra eſt,quando ea quæ ſequi debent, anteponuntur,ut:
Interea reges,ingenti mole Latinus 12.Aeneid.
Quadrijugo uehitur curru. Et:
-Bigis it Turnus in albis,
Et iuxtà Aſcanius magnæ ſpes altera Romæ Procedunt
caſtris. Et in Pſalmis: Fundamenta eius in montibus Pſal.86.
ſanctis, diligit dominus portas Sion. Antè poſuit eius:&
poſtea cuius, id eſt domini. Et alibi: Diuiſerunt ſibi ue= Pſal.21.
ſtimenta mea, & ſuper ueſtem meam miſerunt ſortem.
Pro diuident,& mittent.
Et Ezechiel nihil anteponens, ita incipit: Et factũ eſt in Ezech.1.
triceſimo anno.Sermonẽ coniunctionis poſuit,nihil aliud
antè,cui hoc ſubiungeretur,præponens.

2 Σύγμα,coniunctio dicitur, figura quãdo multa pen=
dentia aut uno uerbo; aut una ſentẽtia cõcluduntur: ut,
Troiugena interpres diuûm qui numina Phœbi, Verg.3.A
Qui tripodas, Clarij lauros,qui ſydera ſentis,
Et uolucrum linguas,& præpetis omina pennæ.
Huic ſimile eſt illud in Apoſtolo: Omnis amaritudo, & Ephe.4.
ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur à
uobis.Sententia autẽ,ut Pſalmiſta præponẽs: Qui ingre Pſal.14.
ditur ſine macula,& operatur iuſtitiã, Qui loquitur ue
ritatem in corde ſuo, &c. ad ultimum ita concludit: Qui
facit hæc,non commouebitur in æternum.

3 Ὑπόζευξις, eſt figura ſuperiori contraria, ubi ſingu=
la uerba, uel ſententiæ, ſingulis quibusq; clauſulis ſubiũ=
guntur:ut,
Regem adit,& regi memorat nomenq; genusq;, Verg.10.A
Quid'ue petat,quid'ue ipſe ferat:Mezentius arma

Quæ ſibi conciliet, uiolentaq́; pectora Turni
Edocet: humanis quæ ſit fiducia rebus,
Admonet: immiſcetq́; preces. haud fit mora, Tarchon
Iungit opes, fœdusq́; ferit.

Pſal. 144. *Tale eſt & illud, in uerbo, ut in Pſalmo: Virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt: Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt, & iuſtitiam tuam exultabunt. Et Apoſtolus: Siue prophetiæ inquit, euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur. Sententiæ: ut, Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum: Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo.* (1. Corin. 13.) (Pſal. 26.)

4 *Ζεῦγμα, eſt diſsimilium clauſularum per unum uerbum conglutinata conceptio: ut,*

(…g. 1. Aenei.) *–Hic illius arma, Hic currus fuit.*

Hoc ſchema late patet, & fieri ſolet non ſolum per partes orationis, ſed & per accidentia partium orationum. Item: Syllepſis eſt, cum ſingularis dictio plurali uerbo adiungitur: ut,

Verg. Buc. *–Sunt nobis mitia poma,*
Caſtaneæ molles, & preſsi cop̃ia lactis.

Simile eſt illud: cum caſus diſcrepantes in unã ſignificationem congregamus: ut, Attendite populus meus legem meam. Et, Ad faciendam uindictam in nationibus, increpationes in populis. Quod enim ait, ad faciendam, numeri ſingularis eſt: quod addidit increpationes, pluralis eſt. Fit etiam Syllepſis in ſenſu, id eſt, ubi pro multis unus, uel pro uno multi ponuntur. Pro multis unus: ut, Immiſit in eis muſcam caninã, & comedit eos rana, & extermina- (Pſal. 77.) (Pſal. 149.)

uit eos. Cum non unam ad exterminandos Aegyptios muſcam uel ranam, ſed innumeras immitteret. Item *pro uno multi:ut,Adſtiterunt reges terræ,& principes con=* Pſal.2.
uenerunt in unum. Reges *enim pro* Herode: Principes *pro* Pilato *poſitos* Apoſtoli *intellexerunt, quēadmodum continetur in* Actibus Apoſtolorum.

Ἀναδίπλωσις, *eſt congeminatio dictionis,quæ in ulti=* 5
ma parte præcedentis uerſus, & prima ſequentis ite= ratur:ut,

–Sequitur pulcherrimus Aſtur, Verg.10.Ae
Aſtur equo fidens,& uerſicoloribus armis.

Simile eſt illud:Stantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Pſal.121.
Hieruſalem, Hieruſalem *quæ ædificatur ut ciuitas.* Et
Hieremias: *Me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ, & fo=* Hiere.2.
derunt ſibi ciſternas, ciſternas diſsipatas, quæ continere non ualent aquas.

Ἀναφορά, *eſt relatio, cum eadem dictio bis ſæpius'ue* 6
per principia uerſuum repetitur:ut, Affectibus uit illud ſcl ma maxim

Nate *meæ uires,mea magna potentia ſolus,*
Nate *patris ſummi qui tela* Tiphoëa *temnis.*

Simile eſt illud: Dominus *illuminatio mea, & ſalus mea* Pſal.26.
*quem timebo?*Dominus *protector uitæ meæ,à quo trepi= dabo?*Et *quo antea ſumus uſi:Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum:* Si *exurgat aduerſum me prælium,in hoc ego ſperabo.* Fit *autem* Anaphora *& in* Pſal.28.
eodem uerſu per principia ſenſuum: ut, Vox *domini in uirtute, uox domini in magnificentia, uox domini con= fringentis cedros. quæ figura* Pſalmis *uſitatiſsima eſt. hanc quidam* Epanaphoram *uocant.*

Ἐπανά

7 Ἐπανάληψις, *eſt uerbi in principio uerſus poſiti in eiuſdem fine repetitio:ut,*

.1.Geor. *Ante etiam ſceptrum Dictæi regis,& ante.*

Phil.4. Pſal.8. *Simile eſt illud : Gaudete in domino ſemper, iterum dico gaudete. Et in Pſalmo : Deus quis ſimilis erit tibi? ne taceas,neq; compeſcaris deus.*

8 Ἐπίζευξις, *eſt eiuſdem uerbi in eodem uerſu ſine aliqua dilatione congeminatio:ut,*

Verg.9. *Me me adſum qui feci, in me conuertite ferrum*
O Rutuli,mea fraus omnis.

Eſa.40. Eſa.51. *Huic ſimile eſt illud:Cõſolamini cõſolamini populе meus, dicit dominus ueſter. Et iterũ:Eleuare eleuare, conſurge*
Eſa.38. *Hieruſalem. Et iterum:Viuens uiuens ipſe confitebitur tibi.Et in Pſalmo : Dies diei eructat uerbũ, & nox nocti indicat ſcientiam. Alibi repetitio eiuſdem ſermonis palilogiæ obtinet nomen.*

9 Παρονομασία, *denominatio dicitur, quoties dictio penè ſimilis ponitur in ſignificatione diuerſa, mutata uidelicet litera uel ſyllaba:ut,*

t.in And. *Nam inceptio eſt amentiũ,haud amantiũ. Et apud Ciceronẽ:Qui fuit locus feliciſsimus, nũc erit lucus deſertiſsimus.Et:Cuſtodia ſacrorũ non honoris, ſed oneris eſſe exiſtimabitur.Tale quoq; eſt illud, ut in Pſalmo X.X I.iuxta Hebraicã ueritatem:In te cõfiſi ſunt,& nõ ſunt cõfuſi.Et*
Philip.3. *Apoſtolus:Videte malos operarios,uidete cõciſionẽ.nos autẽ ſumus circũciſio q ſpiritu deo ſeruimus.Quã Eſaias*
Eſa.5. *Propheta figurã elegãtiſsime ĩ ſua lingua cõfecit,ubi ait: Expectaui ut faceret iudiciũ,& ecce iniquitas:& iuſticiam,& ecce clamor. Hebraice enim iudiciũ* לְמִשְׁפָּט

iniquitas

iniquitas מִשְׂפָּח *iuſtitia* לִצְדָקָה *clamor* צְעָקָה *appellatur.* Pulchre *itaq; una uel addita uel mutata lite- ra ſic uerborũ ſimilitudinẽ tẽperauit, ut pro* לְמִשְׁפָּט *diceret* מִשְׂפָּח *: & pro* לִצְדָקָה *poneret* צְעָקָה

Σχέσις ὀνομάτων*, id eſt, multitudo nominũ coniuncto- rum, diuerſo ſono unam rem ſignificantium:ut,* 10

Marſa manus, Peligna cohors, feſtina uirûm uis.

Simile illud quoq;: Væ *gẽti peccatrici, populo graui ini- quitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis.* Et *in* Pſalmis: *Peccauimus cum patribus noſtris, iniuſte egimus, iniqui- tatem fecimus.* Eſa.1. Pſal.105.

Παροίμιον*, eſt cum ab eiſdem literis diuerſa uerba ſu- muntur:ut,* 11

O' Tite tute Tati tibi tanta tyranne tuliſti. Ennius.

Q*uæ nimirũ figura, quia ad poſitionẽ literarũ pertinet, melius in ea lingua, qua ſcripta eſt, editaq; requiretur.* Ha*bemus tamẽ & in noſtra translatione unde demus exem- plum. dictum eſt etenim in* Pſalmo *:* Benediximus *uobis de domo domini, deus dominus & inluxit nobis.* Et *in alio:* I*ra illius ſecundũ ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpi- dis ſurdæ, & obturantis aures ſuas.* Pſal.117. Pſal.57.

Ὁμοιοτέλευτον*, ſimilis terminatio dicitur, figura quo- ties media & poſtrema uerſus ſiue ſententiæ ſimili ſyl- laba finiuntur:ut,* 12

E*os reduci quàm relinqui, reuehi quàm deſeri malui.* Ennius teſte Diomede.

Simile eſt in Eccleſiaſte: M*elius eſt uidere quod cupias, quàm deſiderare quod neſcias.* E*t iterum:* M*elius eſt à ſa- piente corripi, quàm ſtultorũ adulatiõe decipi.* Hac *figu- ra* Poëtæ *&* Oratores *ſæpe utuntur :* Poëtæ *hoc modo:* Eccle.6. Eccle.7.

Peruia

Peruia diuiſi patuerunt cærula ponti.

Oratores uero ita: Beatus Iob deo ſoli agnitus in tranquillitate, ad maiorem notitiã perducendus, tactus eſt uerbere, ut odorem ſuarum uirium tantò latius ſpargeret, quantò maiore aromatũ incenſione flagraret. Quo ſchemate ipſe qui hæc dixit, ſæpiſsime uſus fuiſſe reperitur.

* Et huiuſmodi orationes eſſe reor, quas Hieronymus cachinnas rhetorum declamationes appellat.

13 Ὁμοιόπτωτον, cum in ſimiles ſonos exeunt dicta plurima: ut,

Ennius. Mœrentes, flentes, lacrymantes, commiſerantes.

Pſal.97. Tale eſt etiã illud: Cantate, exultate, & pſallite. Et Eze-
Ezech.1. chiel: Quòd ſi genuerit filiũ latronẽ, effundentẽ ſanguinem, & paulò pòſt in montibus comedentem, & uxorem proximi ſui polluentẽ, egenũ & pauperem contriſtãtem, rapientem rapinas, pignus non reddentem, & ad idola leuantem oculos ſuos, abominationẽ facientẽ, ad uſuram dantem, & amplius accipientem, nunquid uita uiuet?

14 Πολύπτωτον, eſt cum diuerſis caſibus uariatur oratio: ut,

Virg.4.Aeneid. Littora littoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis, pugnent ipſiq; nepotes.

Rom.11. Vt Apoſtolus: Quoniã ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi honor, & gloria, in ſecula ſeculorũ. Et
Pſal.17. in Pſalmo: Niue dealbabũtur in Selmõ, mons dei Mons coagulatus, mõs pinguis, ut q̃d ſuſpicamini mõtes coagulatos. Mons in quo beneplacitum eſt deo habitare in eo.

15 Εἱρμὸς, conuenientia dicitur, quando ſeries orationis tenorem ſuum uſq; ad ultimum ſeruat, nulla uidelicet

alia

alia uel cauſa,uel perſona mutata:ut,

Principio cœlum ac terram,camposq́; liquentes, Verg.7. A
Lucentemq́; globum Lunæ,Titaniaq́; aſtra
Spiritus intus alit.

Simile eſt illud,ut in Pſalmo:Deus in nomine tuo ſaluum me fac.&c.uſq; dum ait: Non propoſuerūt deū āte conſpectum ſuum.Orat enim Propheta, ut axilio domini ſaluatoris ab hoſtium inſectatione liberetur. Pſal.53.

16 Πολυσύνδετον, *eſt oratio multis nexa coniunctionibus:ut, – Athamasq́;, Thoasq́;, Pelidesq́; Neoptolemus, primusq́; Machaon. Simile eſt illud in Pſalmo: Dominus conſeruet eum,& uiuificet eum, & beatum faciat eum,& emundet in terra animam eius, & non tradat eum in manus inimicorum eius.* Pſal.40.

17 Διάλυτον, *uel* ἀσύνδετον, *eſt figura ſuperiori contraria, carens coniunctionibus:ut,–Ite, Ferte citi flammas, date tela,impellite remos.Tale eſt illud in Pſalmo : Iubilate deo omnis terra , Pſalmum dicite nomini eius , date gloriam laudi eius,dicite deo, quàm terribilia ſunt opera tua domine.* Verg.4.A. Pſal.65.

DE TROPIS.

TROPVS *eſt dictio translata à propria ſignificatione ad non propriam ſimilitudinem ornatus,neceſsitatis'ue cauſa. Sunt autem* τρόποι *qui Latine modi, uel mores interpretari poſsunt, numero trecedim :* Μεταφορά, Κατάχρησις, Μετάληψις, Μετωνυμίας Ἀντονομασίας Ἐπίθετον, Συνεκδοχή, Ὀνοματοποιΐα, Περίφρασις, Ὑπέρβατον, Ὑπερβολή, Ἀλληγορία, Ὁμοίωσις.

1 Μεταφορὰ, *eſt rerum uerborumq́; translatio. Hæc fit modis quatuor: ab animali ad animale, ab inanimali ad inanimale, ab animali ad inanimale, ab inanimali ad animale. Ergo ab animali ad animale fit ſic: ut,*

Typhin aurigam celeres fecêre carinæ.

Nam & auriga, & gubernator animam habent.

Pſal. 2. *Simile eſt in ſacra ſcriptura illud: Quare fremuerunt gentes? Et: Dominus qui eripuit me de ore leonis, & de*
Pſal. 138. *manu urſi. Et: Si ſumpſero pennas meas ante lucẽ. Nam & homines, & beſtiæ, & uolucres animam habent.*

Ab inanimali ad inanimale: ut,

Pelagus tenuêre rates, nec iam amplius ulla.

nam & Pelagus & rates animam non habent.

Zach. 11. *Simile eſt illud in ſacra ſcriptura: Aperi Libane por-*
Pſal. 8. *tas tuas. Et: Qui perambulat ſemitas maris. Trãslatio eſt enim à ciuitate ad montem: & à terra ad mare, quorum nullum animam habet. Ab animali ad inanimale, ut:*

Atlantis cinctum aßidue cum nubibus atris,

Piniferumq́; caput uento quaſſatur & imbri,

Nix humeros infuſa tegit, tum flumina mento

Præcipitant ſenis, & glacie riget horrida barba.

Nam ut hæc animalis ſunt, ita mons animam non habet, cui membra hominis adſcribuntur.

Amos. 1. *Huic ſimile eſt illud: Exiccatus eſt uertex Carmeli: homines enim non montes uerticem habent. Ab inanimali ad animale, ut:*

Aut ſi fama mouet, ſi tantum pectore robur

Concipis.

Nam ut robur animam non habet, ita Turnus cui hæc

dicun

dicuntur, animam habet. Huic *ſimile eſt illud: Auferam à*
uobis cor lapideum.non enim lapis, ſed populus animam Ezech. 1
habet.

Μεταφορὰ *autem, aut partis unius eſt, ut* Fluctuare *ſe=*
getes.non poteſt enim dici, ſegetare fluctus: aut ἀντιστροφὴ
eſt, id eſt reciproca: ut, remigium alarum: Nam *&* *alæ* Quas gr
*auium, & alarũ remigia dicũtur.*Hic *tropus & ad deum* κόλλεθας uc
fit multifarie: à uolucribus: ut, Sub umbra alarum tuarũ Pſal.16.
protege me. À *feris: ut,* Dominus *de Sion rugiet.* À *mem=*
bris humanis: ut, Quis *menſus eſt pugillo aquas, & cœ=* Iohel.3. Eſa.40.
los palmo ponderauit? Ab *homine interiore: ut,* Inueni
Dauid *filium* Ieſſe, *uirum ſecundũ cor meum.* À *motibus*
mentis humanæ: ut, Tunc *loquetur ad eos in ira ſua.* Et, Pſal.2.
Pœnitet *me hominem feciſſe.* Et, Zelatus *ſum* Sion *zelo* Gen.6. Zach.8.
magno: & innumera huiuſmodi. À *rebus inſenſibilibus*
ut, Ecce *ego ſtridebo ſuper uos, ſicut ſtridet plauſtrũ onu* Amos 2.
ſtum fœno. Qui *uidelicet tropus & in cõmuni locutione*
uiſitatiſſimus eſt, ut cum dicimus, fluctuare ſegetes, gem=
mare uites, floridam iuuentutem, & lacteam caniciem.

Κατάχρησις, *eſt uſurpatio ſiue abuſio nominis alieni* 2
aut uerbi, ad ſignificandã rem quæ propria appellatione
defecit: & eo à metaphora differt, quòd illa uocabulum
habenti largitur: hæc quia non habet primum, alieno
utitur. ut parricidam dicimus, qui occiderit fratrem: &
piſcinam, quæ piſces non habet. Hæc *enim niſi extrinſe=*
cus ſumerent ſuum uocabulum, non haberẽt. Huic *ſimile*
eſt illud: Pones *uectes in quatuor angulis menſæ per ſin=*
gulos pedes: &, ſextum ſagum in frõte tecti duplicis: &
ibi, confringit cornua arcuum. Et, Labiũ *illius erat quaſi* 2.Par.4.

labium calicis, & repandi lilij. pedes quippe, & frons, & cornu,& labium,hominum tantum ſunt, & animantium,non etiam rerum inſenſibilium: quæ nomina ſi ſcriptura prælatis rebus non impoſuiſſet,quod proprium his diceret non haberet. Ad hunc tropum pertinet quod ſcri
Ioan. 5. ptum eſt,Eſt autem Hieroſolymis Probatica piſcina. à piſcibus enim nomen accepit aqua, quæ nequaquam propter piſces,ſed ad lauandas, ut ferunt,hoſtias collecta eſt, unde Probaticæ cognomen ſortita eſt.

3 Μετάληψις, eſt dictio gradatim pergens ad id quod oſtendit, & ab eo quod præcedit,id quod ſequitur inſinuans:ut,

Verg. 1. Aen. -Speluncis abdidit atris. Et,

Verg. Buc. Poſt aliquot mea regna uidens mirabor ariſtas. Et,

Inq́; manus chartæ nodoſaq́; uenit arundo. Nam per manum uerba,per arundinem literæ ſignificatæ ſunt. Tale eſt illud: Labores manuum tuarum manducabis: labores enim poſuit pro his quæ laborando adquiruntur bo-
Pſal. 103. nis. Nec non & illud: Draco iſte quem formaſti, ad inludendum ei: per draconem diabolus,per diabolum bonus angelus intelligendus eſt,qualis à deo formatus eſt.

4 Μετωνυμία, eſt quædam ueluti transnominatio, ab alia ſignificatione ad aliam proximitatem translata. Huius multæ ſunt ſpecies:Per id quod continet,id quod continetur:per id quod continetur,id quod continet:Per inuentorem,id quod inuentum eſt:per inuentum, inuentorem:per efficientem, id quod efficitur:per id quod efficitur, efficientem. Aut enim per id quod continet, id quod continetur oſtendit:ut,Nunc pateras libate Ioui. Et,

Theatra

Theatra plaudunt, prata mugiunt: dum illic homines plaudunt, hic boues mugiunt. Aut contrà, per id quod continetur, id quod continet: ut, Verg. 1.Ae

Crateras læti ſtatuunt, & uina coronant. Et,

—Iam proximus ardet Vcalegon. Dum non ille ſed domus eius arderet. Aut per inuentorem id quod inuentum eſt: ut, Sine Cerere & Libero friget Venus. Et,

Commixtam Vulcanus mittit ad aſtra fauillam. Vult enim per Cererem, frumēti inuentricē, intelligere panē: per Liberum, inuentorem uitis, uinum: per Venerē, libidinem: per Vulcanum, ignem. Aut contrà, per inuentum inuentorem demonſtrat: Vt, Vinum precamur, pro Libero, qui uinum apud Græcos inuenit. Item per efficientem id quod efficitur: ſicut pigrū frigus, quòd pigros homines faciat. Et timor pallidus, eò quòd pallidos homines reddat. Aut cōtrà per id quod efficitur efficiens: ut, Plautus.

Iungit equos auri genitor, ſpumantiaq́; addit
Fræna feris.

Spumantia fræna dixit, cū utiq; nō ipſa faciant ſpumas, ſed equus qui ea gerit ſpumis conſpergat infuſis. His ſimilia ſunt illa de ſacra ſcriptura, per id quod continet, id quod cōtinetur oſtendit: ut, Effundens hydriam in canalibus: Et contrà: ut, Accipe literas tuas: Neq; enim hydria effundebatur, ſed quod in ea cōtinebatur: nec literæ in manus, ſed charta quæ literas continet adſumitur. Et iterum: Et dimittite eam, & uadat, & aſpicietis. nō enim arca, ſed plauſtrum qui continebatur, uel boues qui ducebant plauſtrum, ire poterant. Hæc & per efficientem, id quod fit, & ecōtra per hoc quod fit, efficientem deſignat. Gen. 24.

5 Ἀντονομασία, eſt ſignificatio uice nominis poſita, & accidẽtibus uidelicet, propriam ſignificat perſonam, quæ tribus fit modis: Ab animo, à corpore, extrinſecus: Ab animo: ut, Magnaninusq; Anchiſiades. À corpore: ut, –ipſe arduus, altaq; pulſat Sydera. Extrinſecus: ut, Infelix puer, atque impar congreſſus Achilli.

r.1. Aen.

Eſa.51.

1.Reg.17.

His ſimile eſt illud, Ab animo: ut, Nunquid nõ tu percuſsiſti ſuperbũ? À corpore: ut, Vir ſpurius altitudinis ſex cubitorũ, & palmo. Ab elatione enim animi diabolus hic intelligitur ſuperbus. À quãtitate corporis Goliat gigas ſignificatur. Extrinſecus quæ ſumuntur, in plures ſpecies diuidũtur: Deſcendunt enim à genere: ut, Nunquid omnibus uobis dabit filius Iſai agrum? À loco: ut, Autorem ſeditionis ſectæ Nazaræorum. Ab actu: Qui autẽ tradidit eum, dedit eis ſignum dicẽs. Ab euentu: ut, Diſcipulus ille quem diligebat Ieſus: Per hunc tropũ aliquoties & Dominus ipſe demonſtratur. À genere: ut, Os anna filio Dauid. À loco: ut, Qui ſedes ſuper Cherubin, appare. Ab actu: ut, Peccaui, quid faciam tibi ò cuſtos hominum?

Matth.26.

Ioan.19.

Matth.21.

6 Ἐπίθετον, eſt propoſita dictio proprio nomini: Nam Antonomaſia uicem nominis ſuſtinet: Epitheton nũquam eſt ſine nomine: ut, Dira Celæno. Et, Diua Camilla: Et, Alma Ceres. Et, Obſcœniq; canes, importunæq; uolucres. Tale eſt in ſacra ſcriptura: ut, Dilectus deo & hominibus Moyſes: Et, Miſericors & miſerator dominus: Et, Iuſtũ Loth oppreſſum. Fit etiã Epitheton modis tribus, Ab animo, À corpore, Extrinſecus: His duobus tropis aut uituperamus aliquẽ, uel oſtẽdimus, uel ornamus.

7 Συνεκδοχή, eſt ſignificatio pleni intellectus capax, cum

cum plus minuſ'ue pronuntiat. Aut enim à parte totum oſtendit: ut,

Haud aliter puppeſq; tuæ, pubeſq; tuorum. Aut con=*trà: ut,* Et *ingens à uertice pontus* In *puppim ferit, ex=cutitur pronuſq; magiſter:* Et, Gramineas, *alij fontemq; ignemq; ferebant.* Similiter *in ſacra ſcriptura aut totum à parte oſtenditur: ut,* In LXXII. *animabus ingreſſus eſt* Iacob Aegyptũ. *Cum non ſolæ animæ, ſed cum corpori=bus ſuis ingreſſæ ſint. Aut contrà: ut,* Tulerunt *dominum meum:* Dominum *dixit, cum domini corpus quæreret. Aut enim totum à parte oſtendit: ut,* Verbum *caro fa=* Ioan.1.
ctum eſt: Et, Eramus *uero in naue uniuerſæ animæ, du=centæ ſeptuaginta ſex. Aut contrà: ut ibi,* Ergo *propter paraſceuen* Iudæorum *quia iuxta erat monumentum ubi poſuerunt* Ieſum.

Ὀνοματοποιία, *eſt nomen de ſono factum: ut,* Tinni= 8
tus æris, clangor tubarum, hinnitus equorum, mugitus boum, balatus ouium, latratus canum, rugitus leonum, ſtridor ualuarum. Inueniuntur *hæ & in ſacra ſcriptura: ut,* Cymbalum *tinniens:* Et, Quaſi *tuba exalta uocẽ tuã:* Eſa.56.
Et, *Canite tuba:* Et, Nunquid *circundabis collũ equi hin=* Eſa.56.
nitum? Et, Rugitus *leonis:* Et, Vox *leænæ:* Et, Canes *muti non ualentes latrare.* Ad *hunc tropũ pertinere qui=dam exiſtimant ſibilos ſerpentium, porcorum ſtridores, cæterorumq; uocem confuſam animantium, quæ & ipſa in ſcripturis ſanctis ſæpius reperiuntur.*

Περίφρασις, *eſt circumlocutio, quæ fit aut ornandæ* 9
rei cauſa quæ pulchra eſt, aut uitandæ quæ turpis eſt: ut, Et *iam prima nouo ſpargebat lumine terras*

Tithoni croceum linquens aurora cubile. Et,
-Nimio ne luxu obtuſior uſus,
Sic genitali aruo ſulcos oblimet inertes.

Similiter & in ſacra ſcriptura ueritatē ſplendide producit:ut eſt, 1.Cor.5. *Scimus quoniā ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem habemus ex* Deo, *domum non manufactam, æternam in cœlis.* Fœditatem euitans: *ut,* Roma.1. Nam *fœminæ eorum immutauerunt naturalem uſum, in eum uſum qui eſt contra naturam.*

10 Ὑπέρβατον, *eſt tranſcenſio quædam, uerborum ordinem turbans. huius ſpecies ſunt quinque:* Ὑστερολογία, Ἀναστροφή, Παρένθεσις, Τμῆσις, Σύγχυσις.

1 Ὑστερολογία, *uel,* Ὕστερον πρότερον, *eſt ſententia cum ordo uerbis mutatur:ut,*
Verg.1.Aenei. *-Torrere parant flammis, & frangere ſaxo.* Et,
Poſtquàm altos tetigit fluctus, et ad æquora uenit. *Prius enim franguntur fruges, & poſtea coquuntur, & antè ad æquora uenit, & ſic tetigit fluctus.* Tale *eſt & illud:* Pſal.23. *Hic accipiet benedictionem à domino, & miſericordiam à* Deo *ſalutari ſuo. prius enim dominus miſerando iuſtificat impium, & ſic benedicendo coronat iuſtum.*

2 Ἀναστροφή, *eſt uerborum tantum ordo præpoſterus:ut,* Verg.1.Aenei. I*taliam contra: pro contra* I*taliam.* Et L*ittora circum: pro circum littora.* Tale *eſt illud:* Q*uamobrem ego deprecabor dominum: pro ob quam rem.*

3 Παρένθεσις, *eſt interpoſita ratiocinatio diuiſæ ſententiæ:ut,*
Aeneas (neque enim patrius conſiſtere mentem
Paſſus amor) rapidum ad naues præmittit Achatem.

Tale

Tale eſt & illud Apoſtoli: Qui enim operatus eſt Pe Gala.2.
tro in Apoſtolatum circunciſionis, operatus eſt & mihi
inter gentes. Et cum cognouiſſent gratiã quæ mihi data
eſt, Iacobus & Cephas & Ioannes dextras dederunt
mihi & Barnabæ ſocietatis.

Τμῆσις, eſt ſimplicis uerbi ſectio, aut unius compoſiti, 4
una dictione uel pluribus interiectis: ut,
Talis Hyperboreo ſeptem ſubiecta trioni. Verg.1.Ae
Et multum nebulæ circũ dea fudit amictu. Pro circumfudit. Hæc ſpecies licet in ſacra ſcriptura facile non inueniatur, tamen habetur in Chriſtiano poëta, ut eſt,
Hiero quem genuit ſolymis Dauidica proles: hoc eſt,
Hieruſalem.

Σύγχυσις, eſt hyperbaton ex omni parte confuſum: ut, 5
Treis Notus abreptas in ſaxa latentia torquet, Verg.1.Ae
Saxa uocãt Itali medijs quæ in fluctibus aras. Eſt enim hic ordo: treis abreptas naues Notus in ſaxa torquet, quæ ſaxa in medijs fluctibus latentia Itali aras uocant. Simile eſt illud in ſacra ſcriptura: Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in ſpecie auri. Prius enim hic, ut Auguſtinus ait, quærendus eſt ordo uerborum, quomodo finiatur ſententia, quæ utique pendet, & dicitur, Si dormiatis, deinde incertum eſt, utrum hæ pennæ: an, ò uos pennæ, & ad ipſas pennas loqui uideatur. Vtrum ergo uerbis quæ præceſſerunt finitur iſta ſententia, ut ſit ordo, Dominus dabit uerbum euangelizantibus uirtute multa, ſi dormiatis inter medios cleros ò uos pennæ columbæ deargentatæ: An his quæ ſequuntur, ut ordo ſit: Si dormiatis inter medios

cleros, pennæ columbæ deargẽtatæ niue dealbabuntur in Selmon: id eſt, ipſæ pennæ dealbabũtur, ſi dormiatis inter medios cleros. ut illos hoc dicere intelligatur, qui ſpeciei domos tanquã ſpolia diuiduntur: id eſt, Si dormiatis inter medios cleros, ò uos qui diuidimini ſpeciei domus per manifeſtationem ſpiritus ad utilitatem, ut alij quidem detur per ſpiritum ſapientia, alij ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum, alij fides, alij genera linguarum, in eodem ſpiritu, &c. Si ergo dormiatis uos inter medios cleros, tunc pennæ columbæ deargentatæ niue dealbabuntur in Selmon. poteſt & ſic intelligi: Si uos pennæ colũbæ dormiatis inter medios cleros, niue dealbabuntur in Selmon, ut ſubintelligatur homines, qui per gratiam remiſsionem accipiunt peccatorũ. Vnde etiam de ipſa eccleſia in Cantico Canticorũ: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata? Promiſsio quippe dei tenetur per prophetam dicentem: Si fuerint peccata ueſtra tanquam fœnicium, ſicut niuem dealbabo: Poteſt & ſic intelligi, ut in eo quod dictum eſt: pennæ columbæ deargẽtatæ, ſubaudiatur eritis: ut iſte ſit ſenſus: Vos qui tanquam ſpolia ſpeciei domus diuidimini, ſi dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ eritis: id eſt, in altiora eleuabimini, ò pagani tunc eccleſiæ cohærentes. Nullam quippe aliam melius intelligi puto columbam deargentatã, quàm de qua dictum eſt: Vna eſt colũba mea: Deargẽtata eſt autẽ, quia diuinis eloquijs erudita. Eloquia nanque domini, alio loco, eloquia caſta dicuntur, Argentum igne examinatũ, terra purgatum ſeptuplum. Magnum itaq; eſt bonum, dormire inter medios cleros, quos nonnulli duo teſtamenta eſſe uoluerunt,

Eſa. 1.

Cant. 6.

runt, ut dormire ſit inter duos medios cleros, in eorum teſtamentorum autoritate requieſcere, ut quando aliquis ex his profertur, & probatur, omnis intentio pacifica quiete finiatur.

Ὑπερβολή, *eſt dictio fidem excedens, augendi minuen-* 11
di'ue cauſa. Augendi: ut, niue candidior: Minuendi: ut, tar
dior teſtudine. Tale eſt & illud. Aquilis cœli ueloiores,
leonibus fortiores. Minuendi: ut, Terrebit te ſonitus fo Leuit.26.
lij uolantis: Et, Nigrata ſuper carbonem facies eorum. Tren.4.

Ἀλληγορία, *eſt tropus quo aliud ſignificatur quàm di-* 12
citur: ut,
Et iam tempus equûm fumantia ſoluere colla. hoc eſt, car 2.Georg.
men finiri. Huic ſimile eſt illud: Leuate oculos ueſtros, Ioann.4.
& uidete regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem: Hoc eſt, intelligite, quia populi ſunt iam parati ad credendũ. Huius ſpecies multæ ſunt, ex quibus eminent,

Εἰρωνεία, ἀντίφρασις, Αἴνιγμα, Χαριεντισμὸς, Παροιμία, Σαρκασμὸς, ἀστεισμός.

Εἰρωνεία, *eſt tropus per contrarium quod conatur* 1
oſtendens: ut,
Egregiam uerò laudem, & ſpolia ampla refertis Tuq́; puerq́; tuus, magnum & memorabile nomen, Vna dolo diuûm ſi fœmina uicta duorũ eſt. Hanc niſi grauitas pro-nunciationis adiuuerit, confiteri uidebitur quod negare contendit. Huic ſimile eſt illud: Clamate uoce maiore, deus
eſt enim Baal, & forſitan loquitur, aut in diuerſorio eſt, 3.Reg.18.
aut in itinere, aut dormit, ut excitetur.

Ἀντίφρασις, *eſt unius uerbi ironia: ut, bellum, hoc eſt,* 2
minime bellum. Lucus, quòd minime luceat: Parcæ, quòd

minime parcant. Itẽ *in ſacra ſcriptura:ut,* Amice *ad quid*
Matth.26. *ueniſti?* Inter Ironiã *&* Antiphraſin *hoc diſtat,quòd* Iro*nia pronũciatione ſola indicat quod intelligi uult:* Anti*phraſis uero, non uoce pronunciantis ſignificat contrarium, ſed ſuis tamen uerbis, quorum origo contraria.*

3 Ἄινιγμα*,eſt obſcura ſententia per occultam ſimilitudinem rerum:ut,*

Mater *me genuit,eadem mox gignitur ex me.* Cum *ſignificat aquã in glaciem cõuerti,& ex eadem rurſus effluere.* Tale *eſt illud in ſacra ſcriptura : ut ,* Pennæ *columbæ deargẽtatæ, & poſteriora dorſi eius in ſpecie auri.* Cum *ſignificet eloquia ſcripturæ ſpiritualis diuino lumine plena,ſenſum uero eius interiorem maiori cœleſtis ſapientiæ gratia refulgentem, uel certe uitam ſanctæ eccleſiæ præſentem,uirtutum pennis gaudentem,futuram autem, quæ in cœlis eſt,æterna cum domino claritate futuram.*

4 Χαριεντισμὸς*, eſt tropus, quo dura dictu gratius proferuntur. ut cum interrogantibus nobis,num nos quæſierit aliquis,*Reſponderetur*,* Bona *fortuna:*Exinde *intelligitur,neminem nos quæſiſſe. Simile eſt illud:* Non'ne *pro*
Gen.29. Rachel *ſeruiui tibi,quare impoſuiſti mihi?* Vno *enim uerbo iniuriam quam patiebatur grauißimam temperantius loquens ſignificauit.*

5 Παροιμία*,eſt accommodatum rebus,temporibusq; prouerbium:ut,*Aduerſus *ſtimulũ calces:*Et*,* Lupus *eſt in fabula.*Huic *ſimile eſt illud:*Canis *reuerſus ad uomitũ ſuum.*
2.Pet.2. 1.Reg.10. Et*,*Non *&* Saul *inter prophetas ?* Quorum *unum cum quemlibet poſt actam pœnitentiam ab uitia relabi:altero tunç utimur,cum indoctum quemq; officium docendi adſumere*

ſumere, uel aliud quid artis, quam non didicit, ſibimet uſurpare uiderimus. Hic *tropus adeo late patet, ut liber Solomonis, quem nos ſecundum Hebræos Parabolas dicimus, apud Græcos ex eo nomen Parœmiarum, hoc eſt, Prouerbiorum acceperit.*

Σαρκασμὸς, *eſt plena odio, hoſtiliſq; inriſio:ut,* 6

En agros, & quam bello Troiane petiſti Verg. 12.

Heſperiam metire iacens, hæc præmia, qui me.

Et in ſacra autoritate: Alios ſaluos fecit, ſeipſum non potest ſaluum facere: Si rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei. Matth. 27.

Ἀστεϊσμὸς, *eſt tropus multiplex, numeroſæq; uirtutis:* 7 *Nam* Ἀστεϊσμὸς *putatur, quicquid dictum ſimplicitate ruſtica caret, & faceta urbanitate expolitum eſt: ut illud, Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui, Atque* Verg. in Buc. *idem iungat úulpes, & mulgeat hircos. Tale eſt & illud: Vtinam abſcindantur qui uos conturbant. Notandum ſa-* Gala. 5. *nè, quòd allegoria aliquando factis, aliquando uerbis tantummodo fit: factis quidem, ut ſcriptum eſt: Quoniam* Gala. 4. *Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera, quæ ſunt duo teſtamenta, ut Apoſtolus exponit. Verbis autẽ ſolummodo: ut, Egredietur uirga de ra-* Eſa. 11. *dice Ieſſe, & flos de radice eius aſcẽdet: Quo ſignificatur, de ſtirpe Dauid per uirginẽ Mariam, dominum ſaluatorem fuiſſe naſciturum. Aliquando factis ſimul & uerbis una eademq; res allegorice ſignificatur. factis quidẽ: ut, Vendiderunt Ioſeph Hiſmaëlitis x x x. argen-* Gen. 37. *teis. Verbis: ut, Appenderunt mercedem meam x x x.* Zach. 11. 1. Reg. 16. *argẽteis. Item factis: ut, Stat autem Dauid rufus, & pulcher aſpectu, & unxit eum Samuel in medio fratrum*

Can.4. *ſuorum.* Verbis: *ut, Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex milibus: quod utrumq; myſtice ſignificat mediatorem dei & hominum, decorum quidem ſapiētia & uirtute, ſed ſui fuiſſe ſanguinis effuſione roſeum,* Eundemq; *unctum à deo patre oleo lætitiæ, præ conſortibus* Pſal.44. *ſuis.* Item *allegoria uerbi ſiue operis, aliquando hiſtoricam rem, aliquando typicam, aliquando tropologicam, id eſt, moralem, rationalem, aliquando anagogen, hoc eſt, ſenſum ad ſuperiora ducentē, figurate denuntiat.* Per *hiſtoriam nanq; hiſtoria figuratur, cum factura primorum ſex ſiue ſeptem dierum, totidem computatur ætatibus.* Gen.43. Per *uerbum,* Dum *hoc quod dicit* Iacob *patriarcha:* Catulus *leonis* Iuda, *ad prædam fili mi aſcendiſti, & cætera, de regno ac uictorijs* Dauid *intelligūtur.* Per *uerbum, ſpiritualis de Chriſto, ſiue eccleſia ſenſus, cum idem ſermo patriarchæ de dominica paſſione, ac reſurrectione fideliter accipitur.* Item *allegoria facta, tropologicam, hoc eſt,* Gen.94. *moralem perfectionem deſignat. ut,* Tunica *talaris & polymita, quam* Iacob *patriarcha filio ſuo* Ioſeph *fecit, uariarum uirtutū gratiam, qua nos deus pater uſq; ad terminum uitæ noſtræ ſemper indui præcipit & donat, inſinuat. Allegoria uerbi eandē morū perfectionē ſignificat: ut,* Sint *lumbi ueſtri præcincti, & lucernæ ardētes in manibus ueſtris. Allegoria facti, anagogicū, hoc eſt, ad ſuperiora ducentem ſenſum exprimit: ut,* Septimus *ab* Adam Enoch *translatus eſt de mundo,* Sabbatū *futuræ beatitudinis, quæ poſt opera bona ſeculi huius, quæ ſex ætatibus peragitur, electis in finem ſeruatur, figurate præſignat.* Matthi.24. *Allegoria uerbi, eadē uitæ cœleſtis gaudiū demōſtrat: ut,*

Vbicunq;

Vbicunq; fuerit corpus, illic cõgregabuntur & aquilæ. Quia ubi mediator dei et hominũ eſt corpore, ibi nimirũ & nunc ſubleuatæ ad cœlos animæ, & celebrata gloria reſurrectionis, colligentur corpora iuſtorũ. Nonnunquã *in una eadẽq; re uel uerbo, hiſtoria ſimul & myſticus de Chriſto uel eccleſia ſenſus, & tropologia, & anagoge, figuraliter intimatur: ut, Templũ domini: Iuxta hiſtoriã, Domus quàm ædificauit Solomon: Iuxta allegoriã, Corpus dominicum, de quo ait: Soluite templum hoc, & in* Ioan.1. *tribus diebus excitabo illud. Siue eccleſia eius cui dicitur, Templũ enim dei ſanctum eſt, quod eſtis uos. Per tropologiam, quiſq; fideliũ, quibus dicitur: An neſcitis, quia corpora ueſtra templũ ſunt ſpiritus ſancti, qui in uobis eſt?* 1.Cor.3. *Per anagogen, ſuperni gaudij manſiones, cui adſpirabat qui ait: Beati qui habitãt in domo tua, in ſeculum ſeculi laudabunt te. Simili modo quod dicitur Lauda Hieruſalẽ* Pſal.83. *dominũ, lauda deum tuum Sion: Quoniam cõfortauit ſeras portarũ tuarum, benedixit filios tuos in te: De ciuibus* Pſal.147. *terrenæ Hieruſalem, de eccleſia Chriſti, de anima quoq; electa, de patria cœleſti iuxta hiſtoriã, iuxta allegoriam, iuxta tropologiam, iuxta anagogen, recte poteſt accipi. Iuxta allegoriã, de eccleſia diximus, ſequentes exemplum doctiſſimi tractatoris Gregorij, qui in libris Moralibus ea quæ de Chriſto ſiue eccleſia per figurã dicta, ſiue facta interpretabatur, allegoriam proprie nuncupare ſolebat.*

Ὁμοίωσις, *eſt minus notæ rei, per ſimilitudinem eius,* 13
quæ magis nota eſt, demõſtratio: huius ſpecies ſunt tres, Εἰκών, Παραβολή, Παράδειγμα.

Εἰκών, *eſt perſonarum inter ſe uel eorum quæ perſo=* 14
nis

nis accidunt, comparatio: ut, Os humeroſq; deo ſimilis.
Ioan.1. Simile eſt illud in ſacra ſcriptura: ut, Vidimus gloriam
Matth.22. eius, gloriam quaſi unigeniti à patre. Et, Neq; nubent, neque ducent uxores, neque enim ultra mori poterunt, æquales enim angelis erunt.

2 Παραβολὴ, eſt rerũ genere diſsimilium comparatio: ut,

Qualis mugitus, fugit cum ſaucius aram
Taurus, & incertam excuſsit ceruice ſecurim.

Matth.13. Simile eſt & illud: Simile eſt regnum cœlorum grano
Ioan.3. ſinapis. Et, Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis.

3 Παράδειγμα, eſt præpoſitio, ſiue enarratio exempli hortantis aut deterrentis: Hortantis: ut,

Antenor potuit medijs elapſus Achiuis,
Illyricos penetrare ſinus, atque intima tutus.

Deterrentis: ut,

At non ſic Phrygius penetrat Lacedæmona paſtor
Ledæamq; Helenam Troianas uexit ad urbes.

Iaco.5. Simile eſt & illud: Exhortantis: ut, Helias homo erat ſimilis nobis, paſsibilis, & orationẽ orauit ut nõ plueret ſuper terram, & non pluit annis tribus, & menſibus ſex.
Matth.6. Et, Reſpicite uolatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater ueſter cœleſtis paſcit illa. Deterrentis: ut, In illa hora qui fuerit
Matth.24. in tecto, & uaſa eius in domo, non deſcendet tollere illa:
Luc.17. & qui in agro, ſimiliter non redeat retro. Memores eſtote uxoris Loth.

FINIS.

PETRVS MOSELLANVS CANDIDO *lectori ſalutem.*

OMNEIS Latini *ſermonis delicias, in figuris & tropis potiſsimum ſitas eſſe, nemo eſt uel mediocriter eruditorum qui neſciat, ſtudioſe lector.* Etenim *ut pictura non ſimplex, ſed quæ uarijs diſtinguitur coloribus, ſpectantium oculos maxime paſcit, & pratum omnigenis uariegatum floribus inambulantibus arridet: ita oratio non undique ſui ſimilis, uerum ſuis interſperſa figuris, ſuis uariata tropis, auditorum aures capit, mereturq; applauſum: adeo, ut præter* Græcos, *qui huic negotio uolumina dederunt, &* Cicero, & Quintilianus *in dicendi arte principes, hac de uirtute diligentiſsime perſcribere dignum putarint.* Quamobrem *cum tot figurarum, tot troporum non minus ſit neceſſaria cognitio, quàm memoria difficilis, & ipſum me operæprecium facturum exiſtimaui, ſi quæ ad hanc rem pertinere uidebuntur uniuerſa, ex probatiſsimis ſcriptoribus tum* Græcis *tum* Latinis, *in breuem hanc tabellam congeſſero, certaq; deſcriptione arctaro.* Quam *ſi in locum in quo frequenter uerſaris, ſuffigas, futurum ut cum nunquam non oculis obuerſetur, in memoriæ theſaurum citra moleſtiam reponatur.* Qua *in re candido ſuffragatur calculo* Eraſmus Roterodamus *noſter, omniũ quos ſol hic uidit ut doctiſsimus, ita & eloquentiſsimus,*

idem

idem quod nobis conſultum uidetur, præcipiens. Porrò *ut quid ſecutus ſim, ſcias: primùm figuras* λέξεως *omnes, orationis uitia complura, tum uirtutes in quibus tropi ſunt, īſigniores exhibemus, atq; omnia ea, tametſi præter aliorum conſuetudinem,* σχήματος *nomine comprehendimus.* Non *quòd ita rectius quadrare cenſeam, ſed quòd hac ratione uniuerſa facilius in ordinem, qui memoriam uel cū primis iuuat, digerantur.* Deinde *ipſa nomina, quæ ubiq; fermè corrupta deprehenduntur, ſuæ integritati reſtituta* Græce *reddimus, ijs etiam, quæ uel* Tullius, *uel* Fabius, *uel* Diomedes Latina *fecerunt appoſitis: pariter ſingula explicantes, tum finitionibus, tum exemplis.* Poſtremò *omnibus modum adhibuimus, ne apud æquum iudicē, uel in congerendo* Græcorum *quorundam curioſitatem æmulari, uel omittendo quæ addidiſſe præſtaret, nonnullorum negligentiam referri merito uideri poſſimus.* Reſtant *tamen aliqua, quæ nec mihi faciunt ſatis: quibus accuratius excutiendis, tempus quod huic lucubratiunculæ anguſtum deſtinaram, minime reſpondebat.* Quicquid *id eſt, quod dedimus, iuuandi ſtudio dedimus, candidiſſimè lector: olim ubi & eruditionis & otij plus nacti fuerimus, pleniora ac inſtructiora aſpirante deo prolaturi.* Vale, *& noſtram operam boni conſule.*

DE SCHEMATIBVS ET TROPIS PEtri Moſellani tabulæ.

Σχῆμα SCHEMA, eſt conformatio quædam uel dictionis, uel orationis, uel ſentẽtiæ, uulgi conſuetudinem excedens.

Cuius partes tres, { FIGVRA, VITIVM, VIRTVS.

FIGVRA.

Figura, uel ſententiæ, uel orationis, uel uerborũ eſt habitus præter communem conſuetudinem innouatus.

Et eſt duplex, ſcilicet { Διανοίας, Λέξεως.

Διανοίας, id eſt, ſenſus uel ſententiarum figura, quæ quanquam (autore Donato) ad oratores proprie pertinet, & nos quæ grammatici ſunt, conquirenda hoc labore tantùm ſtatuimus, tamen eius ſpecies adſcripſiſſemus libenter, ſi non immenſam inſtituti molem futuram hac ratione proſpexiſſemus.

Λέξεως, Lexeos figura eſt, cum in oratione aliquid quod ad uerba attinet, innouatur præter uulgarem conſuetudinem.

Cuius genera ſunt, figura { DICTIONIS, LOCVTIONIS, CONSTRVCTIONIS.

Figura dictionis, & illius partes.

Figura dictionis in proſa βαρβαρισμός *barbariſmus, in carmine* μεταπλασμός *metaplaſmus dicitur. Transformatio quædam eſt unius dictionis.*

Cuius partes à grammaticis recenſentur,
- *Proſthesis,*
- *Epentheſis,*
- *Proparalepſis,*
- *Aphæreſis,*
- *Syncope,*
- *Apocope,*
- *Ectaſis,*
- *Syſtole,*
- *Diæreſis,*
- *Epiſynalœphe,*
- *Synalœphe,*
- *Ecthlipſis,*
- *Antitheſis,*
- *Metatheſis.*

Πρόσθεσις *Proſtheſis, Appoſitio ad principium ſcilicet dictionis, uel literæ, uel ſyllabæ: Literæ, ut gnatus pro natus dixit Terent. Syllabæ, ut tetuli pro tuli.*

Ἐπένθεσις *Epentheſis, Interpoſitio, quum inter primam & ultimam dictionis ſyllabam adijcitur litera, ut relligio pro religio apud Vergil. Syllaba: ut, Induperator pro imperator. Iuuenalis.*

Προπαράληψις *Proparalepſis, quam præaſſumptionem dixeris, eadem* παραγωγή *paragoge, etſi Diomedes ſeparat, cum ad finem quippiam accedit, ut dicier pro dici,*

dici,extulit Perſius.

Ἀφαίρεσις *Aphæreſis,Ablatio à principio dictionis,contraria* πρόσθεσει *Proſtheſi.Literæ:ut, Ruit omnia late, pro eruit.Aeneid. 2. Syllabæ: ut; Temnere pro contēnere extulit poëta ibidem.*

Συγκοπή *Syncope, Conciſio, figura planè contraria* ἐπενθέσει *epentheſi, quoties è dictionis medio aliquid exciditur, ut dixti pro dixiſti, Terent.Repoſtum pro repoſitum,& acceſtis pro acceſſiſtis,Verg.*

Ἀποκοπή *Apocope, Abciſio à dictionis fine uel literæ uel ſyllabæ,contraria* παραγωγῇ *paragogæ. Literæ, Achilli pro Achillis dixit Maro. Syllabæ,* δῶ *pro* δῶμα*, apud Homerum Odyſ. r.*

Ἔκτασις *Ectaſis,Extenſio ſyllabæ natura contractæ,ut Exercet Diana choros.Diana prima porrecta dixit, cum genuina ratione fuiſſet contrahenda.*

Συστολή *Syſtole,contractio natura protenſæ,ut idolum media breui dixit Prudentius,uir uere prudens,non inſcitia Græcarum literarum, ut literatores clamitant, ſed in re ſacra hac uſus figura.*

Διαίρεσις *Diæreſis, Diuiſio unius ſyllabæ in duas, ut Aulai in medio, Aeneid. 3. pro aulæ. quo modo Lucretius in libris de rerum natura genitiuos ferme ſemper in prima forma extulit.*

Ἐπισυναλοιφή *Epiſynalœphe, Conglutinatio duarum ſyllabarum in unam, contraria* διαιρέσει *diæreſi,ut Fixerit æripedem ceruam,pro aëripedem Verg.Georgicorum tertio.*

Συναλοιφή *Synalœphe, Deletio, cum uidelicet duabus*

bus uocalibus concurrentibus,prior quaſi deletur:ut, Car*thag' Italiam contra Tiberinaq; longe . pro Carthago Italiam. Aeneid.* 1.

Ἔκθλιψις Ecthlipſis *, eliſio quædam uocalium cum conſonantibus aſpere concurrẽtium: ut,* Multum ille & *terris fuerat iactatus & alto:* Quem *uerſum dũ metiris, dicere oportet,* Mult' ill' & *terris fuerat iactatus et alto.*

Ἀντίθεσις Antitheſis *ſiue commodiore uerbo* ἀντίστοιχον *antiſtœchon, cum litera pro litera ponitur:* Olli *ſubridens hominum ſator atque deorum , pro illi ,* Maro *ſuæ* ποιήσεως *primo.*

Μετάθεσις Metatheſis *, transpoſitio quædam literarum,ut quod* Tymbre *dixit poëta in* 10. *pro* Tymber.*in quo* μεταπλασμῷ *metaplaſmo mirum quàm ſint audaces poëtæ Græci.*

Adijciunt quidam ex Diomede παραλλαγὴν προθέσεων, *id eſt, immutationem præpoſitionum, quæ nobis non tam* μεταπλασμός, *quàm* σολοικισμοῦ *ſolœciſmi ſpecies uideri ſolet.* Verum *hoc loco memineris lector, non ubique metaplaſmo locum eſſe , imò non idem in ioculari & paruo opere licebit,quod priſcis illis in iuſta & ſublimis argumenti poëſi condonatum eſt .* Quare Horatia*num illud ſemper in animo & pectore habeas :* Tantum *opere in magno fas eſſe obrepere ſomnum.* Neque *ſtatim imitandum proponas, quicquid uſquam conceſſum inueneris.*

Figura locutionis, & eius partes.

FIGVRA *locutionis, ratio eſt quædam locutionis compoſitione nouata.*

Cuius

Cuius hæ numerantur ſpecies,

Prolepſis, Zeugma,
Hypozeuxis, Syllepſis,
Anadiploſis, Anaphora,
Epanalepſis, Epizeuxis,
Paronomaſia, Scheſis onomatō,
Paromœon, Homœōteleuton,
Homœoptoton, Polyptoton,
Hyrmus, Hendiadys,
Hypallage, Proſopopœia,
Anthypophora, Apoſiopeſis,
Climax, Polyſyndeton,
Aſyndeton, Antimetabole.

Πρόληψις Prolepſis, *id eſt, præſumptio rerum ſummaria, quæ deinceps particulatius enarrantur, ut: Interea reges, ingenti mole Latinus Quadrijugo inuehitur curru, bigis it Turnus in albis: Verg.*

Ζεῦγμα Zeugma, *cum diuerſæ clauſulæ uni uerbo tribuuntur:*

Et eſt triplex,
- Πρόζευγμα,
- Μεσόζευγμα,
- Ὑπόζευγμα.

Πρόζευγμα Prozeugma, *præiunctio, quoties uerbum clauſulis præponitur, ut Cicero: Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.*

Μεσόζευγμα Meſozeugma, *cum in clauſularum medio uerbum collocatur. Cuius ſpecioſum exemplum extat apud Maronem Aeneid. 3. Troiugena interpres diuûm qui numina Phœbi, Qui tripodas Clarij, lauros, qui ſidera ſentis: Et uolucrum linguas, & præpetis omi-*

*na pennæ.*Hic,*ſentis,& præcedentes & ſequentes nectit clauſulas.*

Ὑπόζευγμα Hypozeugma, *Subiunctio, cum uerbum ſubiungitur in fine:* Cicero in Catilinam: *N*ihil'*ne te nocturnum præſidium palatij, nihil urbis uigiliæ, nihil timor populi,nihil concurſus bonorum omnium, nihil hic munitiſsimus habendi ſenatus locus, nihil horum ora uultusq; mouerunt?*

Ὑπόζευξις Hypozeuxis,*figura ſuperiori contraria,cum diuerſæ clauſulæ ſingulis uerbis reddūtur:ut,*Regem *adit & regi memorat nomenq; genusq;.*Aeneid.8.

Σύλληψις Syllepſis, *conglutinata conceptio,quoties diuerſi numeri clauſulæ uno clauduntur uerbo.* Verg. *in* 1. —Hic *illius arma,*Hic *currus fuit.*

Ἀναδίπλωσις Anadiploſis, Reduplicatio, *cum ultima prioris uerſus dictio in ſequentis principio iteratur.* Maro *in deci.* – *Sequitur pulcherrimus Aſtur, Aſtur equo fidens.*

Ἀναφορά Anaphora, Relatio *eiuſdem uidelicet uerbi per principia plurimorum uerſuum.* Horatius *odarum* 2. Otium *diues rogat in patenti,* Otium *bello furioſa* Thrace,Otium Medi *pharetra decori.*

Ἐπανάληψις Epanalepſis, *autore* Donato,*nam* Diomedes *reclamat, cum eadem dictio uerſum & incipit, & claudit:ut,* Multa *ſuper* Priamo *rogitans, ſuper* Hectore *multa.*Aeneid.1.

Ἐπίζευξις Epizeuxis, *Subiunctio eiuſdem ſcilicet uerbi ſine aliqua interſtitione, maioris uehementiæ gratia. Qua ratione fermè & ſuperiores fiūt replicationes.* Vergilius

gilius Aeneid. 9. Me me adſum qui feci.

Παρονομασία Agnominatio Latine, dicitur cum iucunda quædam uocum fit colluſio ſignificatu tamen diuerſo. Terentius in Andria: Nam inceptio eſt amentium, haud amantium.

Σχέσις τῶν ὀνομάτων Scheſis onomatôn, id eſt, nominum habitus quidam, quoties uerborum multitudo eodem copulandi habitu coaceruatur, ut hoc apud poëtam: Marſa manus, Peligna cohors, feſtina uirûm uis.

Παρόμοιον Paromœō, Aſsimule, quoties multa uerba ab eodem incipientia elemento, ex ordine collocantur: ut, O' Tite tute Tati tibi tāta tyranne tuliſti. Ennius citante Priſciano, libro 12.

Ὁμοιοτέλευτον Homœoteleuton, cum ſimiliter uel dicti ones, uel ſententiæ finiuntur. Ennius, ut citat Diomedes: Eos deduci, euehi, quàm deſeri malui. Qua figura apud Græcos inſignis eſt Iſocrates.

Ὁμοιόπτωτον Homœoptoton, cum eodem caſuum tenore clauſula terminatur, ut eſt apud Salluſtium: Maximis ducibus, fortibus, ſtrenuisq; miniſtris.

Πολύπτωτον Polyptoton, Multitudo caſuum uarietate diſtincta, ut Aenei. 4. Littora littoribus contraria, fluctibus undas Imprecor, arma armis: pugnent ipſiq; nepotes.

Εἱρμός Irmus, Series eſt orationis, eodem filo ad clauſulam uſq; protenſa: ut, Principio cœlum ac terras, camposq; liquentes, Lucentemq; globum lunæ, Titaniaq; aſtra, Spiritus intus alit. Aeneid. 7.

Ἓν διὰ δυοῖν Endiadis, figura cum fixum in mobile ſoluitur: ut, Per famam ac populum: Pro per famoſum popu

lum, dixit poëta.

Ὑπαλλαγή Hypallage, *eſt quoties oratio conuerſo rerum ordine effertur, ut -Dare claßibus auſtros, pro dare claſſes auſtris.* Verg.

Προσωποποιΐα Proſopopœia, *perſonarum fictio, nimirum cùm rebus mutis ſermo tribuitur.* In *qua, quanquam poëtæ multum ſibi permittunt, tamen & oratores uſurpant, ut* Cicero *in* Catilinam *patriæ ſermonem accommodat.*

Ἀνθυποφορά Anthypophora, *cum tacitæ occurrimus quæſtioni, quam figuram & poëtæ, & oratores in uſu habent, quorum exempla referre nimis hic longum eſſet.*

Ἀποσιώπησις Apoſiopeſis, *quam* Cicero *reticentiam appellat, cum per iram uel indignationem, orationis partem reticemus.* Quos *ego. ſed motos præſtat componere fluctus. tacet enim puniam.*

Κλίμαξ Climax, *interprete* Tullio, *gradatio, quoties ab eo uerbo quo ſenſus ſuperior claudebatur, inferior incipit, ac deinceps hoc modo quaſi per gradus aſcendit. Cuius aptißimum exemplum extat apud* Homerũ Iliad. 2. *de ſceptro ab* Ioue *in* Agamemnonem *uſque deducto: ſed &* Vergil. *in* Bucol. T*orua leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam: & alia.*

Πολυσύνδετον Polyſyndeton, *ſtructura multis nexa coniunctionibus: ut, -*Athamaſq;, Thoaſq;, Pelideſq; Neoptolemus, *primuſq;* Machaon. Aeneid. 2.

Ἀσύνδετον Aſyndeton, *ſuperiori contraria, cum ſtructura uinculis caret: Abijt, exceßit, euaſit, erupit.* Tullius *in* Catilinam. *Ferte citi flammas, date tela, impellite*

pellite remos. Aeneid. 4.

Ἀντιμεταβολή Antimetabole, *apud quoſdam inter fi-guras refertur, quam* Latine *contramutationem uerte-re poſſes.ut,* Non *uiuo ut edam, ſed edo ut uiuam, inquit* Cato. Reliquæ *figuræ, quas* Fabius *ex multis Græcis curioſe ſatis conuertit, in præſentiarum adſcribere non eſt animus, partim quòd Grammaticum artificium exce-dant, partim quòd inſigniores congerere tantùm noſtrũ eſt inſtitutum.*

Figura conſtructionis, eiusq́ partes.

FIGVRA *conſtructionis, quæ in ſyntaxi uulgarem rationem excedit.*

Cuius ſpecies ſunt,
- *Prolepſis,*
- *Zeugma,*
- *Syllepſis,*
- E*uocatio,*
- *Appoſitio.*

πρόληψις Prolepſis, *præſumptio totius, cuius partes ad unam proprietatem poſtea referuntur: ut,* Milites *pu-gnant, unus in hoſtem, alter in patriam.*

ζεῦγμα Zeugma, *quoties una proprietas diuerſis ſub-iectis tribuitur, uni prius, alteri poſterius, ita tamen ut ui-ciniori reſpondeat: ut,* Ego *&* tu *ſcribis.*

σύλληψις *Syllepſis,* Conceptio, *cum dignius attra-hit minus dignum, quæ ambo tamen ad unam proprie-tatem referentur, ut digniori reſpondeat: ut,* Ego *& tu ſcribimus.*

E*uocatio, quoties prima uel ſecunda perſona ter-tiam quaſi euocat: ut,* Ego Vergilius *cano. quanquã hoc*

loco mea ſententia Vergilius, non tam tertiæ quàm primæ perſonæ eſt.

Appoſitio eſt, cum duo fixa uel plura, ſine copula nectuntur: ut, Ignauum fucos pecus à præſepibus arcent, Vergilius in 4. Georg. Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexim Delicias domini. in Bucol.

Nonnulli recentiores literatores συνεκδοχὴν *ſynecdochen addunt, quæ tum fit, cum* ἑλληνίζοντες *Aethiops albus eſt dẽtes, dicimus. & ut Ver. Nuda genu, quod* ἀττικισμῷ *fieri certum eſt.*

VITIVM,

Schematis pars ſecunda.

VITIVM *in oratione quaſi error quidam, qui etſi poëtis condonatur, in proſa tamen intolerabilis eſt.*

Species ſunt, { *Obſcurum, Inordinatum, Barbarum.*

Obſcurum, eiuſq́ partes.

Obſcurum, cum, uel uerborum, uel ſtructuræ uitio obſcuritas quædam inducitur.

Cuius partes habentur { *Acyron, Pleonaſmos, Periſſologia. Tautologia, Homœologia, Amphibologia, Eclipſis, Periergia.*

Ἄκυρον

Ἄκυρον Acyron, Improprietas, cum dictio minime propriæ ſignificationis orationi ceu nubes inducitur. Terentius: Nam quod tu ſperas, propulſabo facile. Speras pro times. Quomodo & Græci ſuum ἐλπίζειν uſurpant.

Πλεονασμὸς Pleonaſmos, Fit quoties (inquit Fabius) ſuperuacuis uerbis oneratur oratio: ut, Vidi meis oculis. Satis eſt enim, uidi. Sic Ore locuta eſt. Aeneid. 1.

Περισσολογία Periſſologia, Fit cum ſententia aliqua ſine pondere rerum adijcitur, ut Liuius in 8. ab urbe condita: Legati non impetrata pace, retro domum unde uenerant reuerſi ſunt.

Ταυτολογία Tautologia, eiuſdem uerbi aut ſermonis iteratio, cui uitio etiam Ciceronem obnoxium notat Fabius, quòd dixit: Non ſolum igitur illud iudicium iudicij ſimile Iudices non fuit. quamuis caſu diuerſo.

Ὁμοιολογία Homœologia, peius uitium ſuperiori, cum oratio undiq; ſui ſimilis nulla uarietatis gratia leuat tædium, ſed eſt tota coloris unius. Cuius exemplum, ne nimis longum ſit, impræſentiarum non adſcribemus.

Ἀμφιβολογία Amphibologia, quando ſtructuræ uitio, utrò uerbum ſit referendum dubitatur, quemadmodum Pyrrho oraculum reſpondit, Aio te Aeacida Romanos uincere poſſe. Hic utri uictoria promittatur, incertum.

Ἔκλειψις Eclipſis, Defectus, quem (ni fallor) Fabius μείωσιν uocat, cum ſermoni aliquid deeſt, quo minus plenius ſit: ut, Italiam fato profugus, deeſt, ad. Ego'ne illam? quæ illum? quæ me? quæ non? In Eunucho.

Περισσὴ

περιεργία Periergia, Superuacua, & (ut ita dixerim) operoſitas nimia in loquendo. Quod uitium aut idem, aut certe admodum affine ei, quod μακρολογίαν nominat cum Fabius, tum Diomedes, cum ſermo cultus gratia longior fit quàm oportet. Vergilius: Poſtera uix ſummos ſpargebat lumine montes Orta dies, cum primum alto ſe gurgite tollunt Solis equi, lucemq; elatis naribus efflant. Hæc uitia quanquam ferme omnia à Diomede ſub obſcuro ceu genere comprehenduntur, non tamen ignoro multis aliter uideri poſſe. Vtut ſit, nobis in paruo diſcrimine ponetur.

Inordinatum, eiusq́ ſpecies.

INORDINATVM, cum uel ordo, uel dignitas uerbis deeſt.

Cuius ſpecies potiores cenſentur, { Tapinoſis, Cacemphaton, Cacozelon, Aſchematiſton, Cacoſyntheton, Soraiſmos.

ταπείνωσις Tapinoſis, uitium quo rei dignitas uerbi humilitate deprimitur, ut quod Cato (autore Gellio) uerrucam montis, pro cacumine dixit.

Κακέμφατον Cacemphaton, ſiue αἰσχρολογίαν æſchrologiam uocitare uelis, Vel cum corrupta conſuetudine in obſcœnum intellectum detorquetur ſermo, ut Aeneid. 6. At ramum hunc aperit, ramum qui ueſte latebat. Terentius, Arrige aures Pamphile. cum arrectio genitali membro propria ſit. Vel cum iunctura deformiter ſonat,

ſonat:ut, Numerum cum nauibus æquat. Quod poſterius obſeruare, auris eſt plane delicatæ.

Κακόζηλον Cacozelon, mala affectatio, cum ingenium ſcilicet iudicio caret, & ſpecię boni fallitur, infeliciterq́; æmulatur:uitium, ut omnium peßimum, ita hodie omnibus ferme commune.

Ἀσχημάτιστον Aſchematiſton, id eſt, male figuratũ, cum oratio prorſus ſimplex, ſuis figuris, quibus uelut ſtellulis reluceret, caret.

Κακοσύνθετον Cacoſyntheton, male collocatum, ubi quippiam non ſuum habuerit locum in quo quadret, ut: –Verſaq́; iuuencûm Terga fatigamus haſta. Aeneid. 9.

Σωραϊσμος Soraiſmos, miſcella quædam & aceruatio ex uarijs idiomatis apud Græcos, apud nos ex uerbis barbaris & Latinis, proprijs & improprijs, obſoletis & nouis. Ac ut ſis ſciens, in his uitijs plane nihil tibi condonarim; Nam quamuis Vergilius ſemel atque iterum in ipſis audax fuerit, tibi tamen non itidem hæc imitari fuerit conſultum.

Barbarum, eiusq́ ſpecies.

BARBARVM, uitium quod ad quandam uelut barbariem tendit.

Partes ſunt hæ, { Barbariſmus, Barbaralexis, Solœciſmus.

Βαρβαρισμός Barbariſmus, contra Romani ſermonis legem aut ſcripta aut pronuntiata uitioſa dictio. Fit autem additione, detractione, immutatione, tranſpoſitione: & id quidem aut literæ, aut ſyllabæ, temporis, toni, aſpirationis

rationis. Quorum exempla partim ubi figuræ dici merue runt, exhibuimus: partim barbarorum tum locutio, tum ſcriptio (ne dubita) ſuppeditabit. In Græcis poëtis ubiq; ſunt obuia. His enim nihil negatũ ridet Martialis: adeo, ut apud illos is ferme optimus habeatur poëta, qui in eiuſmodi quàm maxime audax fuerit. Ad hæc indecoras literarum quarundam pronuntiationes Barbariſmi nota inurunt, ἰωτακισμοὺς ſcilicet, λαμβδακισμοὺς, μυτακισμοὺς, πλατειασμοὺς. Sic enim Græci fingendis nominibus (ait Fabius) feliciores uocant, ut & χελλσσομίαν, cum uox quaſi in oris receſſu auditur.

Βαρβαρολέξις, *id eſt Barbara dictio, quoties Romano ſermoni peregrinæ linguæ dictio inſeritur, ut gaza apud Maronem, quod eſt Perſicum: & maſtruca apud Ciceronem, Sardum uocabulum.*

Σολοικισμὸς *Solœciſmus: Eſt (inquit Aſinus Capito apud Gellium) impar & inconueniens compoſitura partium orationis, quæ per omnia partium orationis accidentia notatur, cum alia orationis pars pro alia ponitur, cum genus pro genere, caſus pro caſu, tempus pro tempore, modus pro modo, numerus pro numero, aduerbium pro aduerbio, præpoſitio pro præpoſitione. Horũ omnia exempla, non ut imitareris ſed ut notata minori negotio deuitares, oppidò quàm libens adſcripſiſſem, ſi per chartæ anguſtiam licuiſſet. Quare uel ipſe obſerues, uel ex Donato petas licebit.*

VIRTVS,

Schematis pars tertia.

Virtus

VIRTVS, qua oratio honeſtatur, attolliturq́; ſupra uulgi ſermonem.

Cuius genera duo, { Proprietas / Ornatus.

Proprietas; & eius partes.

PROPRIETAS, quæ uel ſcripto, uel pronuntiatione, uel uerbis nil improprium habet.

Eius partes ſunt, { Analogia, / Taſis, / Syntomia.

Ἀναλογία Analogia, eſt proportio quædam, finitore Diomede (nam nobis non perinde probatur) qua recte ſcribendi ratio conſeruatur. Hanc cum proprietatis partẽ fecerit Diomedes, quid tamen ſibi uoluerit, non uideo.

Τάσις Taſis, qua uerborum dulcis ac iucunda ſeruatur modulatio, quòd alia acuto tenore alia graui illa flexo moderamur. Quæ uirtus ad uocis flexibilitatẽ præcipue pertinet.

Συντομία Syntomia, cum breui & compendioſo uerborum ambitu, res quantumuis ingens pro dignitate redditur. Verg. Aeneid. 1. Naſcetur pulchra Troianus origine Cæſar, Imperium oceano, &c. Eſt & orationis uelut lux quædam, quæ uerba ipſa rei proprie adeo accõmodat, ut nõ tam narrari quàm geri uideatur. Hanc uirtutem Græci qui lucem quam rebus addit, ſpectant ἐνάργειαν, qui uero mouendi efficaciam, ab opere ἐνέργειαν appellare conſueuerunt.

Ornatus, & eius ſpecies.

Ornatus

ORNATVS orationis ſuo ſe nomine prodit, ut finitione minime ſit opus.

Genera eius hæc, { Syntheſis. Cyriologia, Tropus. }

Σύνθεσις Syntheſis, apta & concinna modulis ſuis ſtructura, qua alius pes alio iucundiorem clauſulam efficere dignoſcitur. Qua de re Cicero lib. de oratore 3. & Fabius in 9. abunde ſatis diſſeruêre.

Κυριολογία Cyriologia, propria & ſana oratio quam ipſa ueritas & ſimplicitas exornant: ut, Romanos rerum dominos, gentemq; togatam. Hanc uirtutem Quintilianus non uno tantum loco laudibus uehit.

Τρόπος Tropus, quem clariſſimi Latinorum motum apellarunt: eſt uerbi uel ſermonis à propria ſignificatione in aliam cum uirtute mutatio.

Cuius priores partes colliguntur hæ { Metaphora, Catachreſis, Metalepſis, Metonymia, Antonomaſia, Epitheton, Synecdoche, Onomatopœia, Allegoria, Periphraſis, Hyperbaton, Hyperbole, Emphaſis, Homœoſis. }

Μεταφορὰ Metaphora, id eſt, Translatio, tropus longe pulcherrimus, quando uel nomen uel uerbum, ex eo loco in quo proprium eſt, in eum in quo aut proprium deeſt, aut translatum proprio melius eſt, transfertur: ut uideo: à corporeo ſenſu cui proprium eſt, ad animi intelligentiam transfertur.

Hæc multis fit modis:

Deflexione, cum uox è propinquo ad rem proximam detorquetur: ut uideo pro intelligo, concoquere pro ferre, deuorare pro uincere ac perferre. Siquidem in ijs id quod eſt corporis, ad animum transfertur, quo genere nihil eſt uſitatius.

Ab irrationali ad rationale: ut Terent. Quid ille gannit? quod uulpium proprium eſt.

Aut contrà: ut ſi poëtam cygnum, muſicum luſciniam dicamus, ceu facit Verg. Georg. 4. dũ de apum Rep. dicit:
Magnanimosq́; duces, totiusq; ordine gentis
Mores & ſtudia, & populos, & prælia dicam.

Ab inanimali ad animal, ut Vergilius Aeneid. 11. -Si tantum pectore robur Concipis. Hic à ligno ad hominem translationem fecit.

Aut contrà: At procul excelſo miratus uertice mõtis. Hic hominis uerticem ad montem traduxit.

Ab animali ad animal, ut Paſcentes apes.

Ab inanimato ad inanimatum, ut ſi quis ſyluam ſcatere dicat, quod eſt fontium.

Ad hæc quædã translationes ſunt reciprocæ ſiue communes, quas Græci ἀκόλουθας uocant. Nam ut pro gubernatore recte dixeris aurigam, ita & pro auriga gu=

bernatorem. Quædam unius duntaxat partis, quas illi ἀνακόλουθα appellant. Siquidem ut recte pro montis cacumine uerticem dixeris, ita non recte pro uertice cacumen ad hominem traduxeris.

Atq; hoc loco admonitũ te uelim lector amice, tranſlationem unam eſſe, quæ in loco adhibita, ingens decus addat orationi. Quare conſultum fuerit, inſignium metaphorarum uim ex optimis autoribus annotatam cõparare. Sunt autem (inquit Rotero.) apud M. Tullium optimæ, apud Quintilianũ plurimæ. Sed & nos (ſi deus aſpirarit) in uolumen iuſtum diligẽter congeremus ex utriuſque linguæ autoribus inſignes translationes, modo alius quiſpiam non anteuertat.

Κατάχρησις Catachreſis, uerborum abuſio, quæ non habentibus nomen ſuum, accõmodat quod in proximo eſt, ut ſi parricidam appelles, non qui patrem occiderit, ſed aliàs hominem quemuis.

Μετάληψις Metalepſis, Tranſumptio. Ea eſt (inquit Rotero.) ubi gradatim itur ad id quod oſtẽditur. Verg. in 1. -Speluncis abdidit atris. Nigræ enim intelliguntur, ex nigris tenebroſæ, ac per hoc in præceps profundæ. Verum huius tropi uſus magis incidet in carmine, quàm in oratione ſoluta.

Μετωνυμία Metonymia, id eſt, Tranſnominatio, cum inuentorẽ pro re inuẽta ponimus: ut, Sine Cerere & Bacchо friget Venus, dixit Comicus. Quod ſi uertas, erit durius, ut Vinum precemur pro Baccho. Vel cum continens pro eo quod continetur uſurpamus: Nunc pateras libate Ioui. Vel è conuerſo: -Vina coronãt, pro poculis dixit

lis dixit Maro. Vel cum dominus rei pro re ipſa ponitur:ut,De ſene guſtarit,pro de pecunia ſenis. Vel cũ ex effectu efficiens accipimus:ut, Pallida mors æquo pulſat *pede pauperum tabernas*,Regumq́; *turres. Vel cum ducem pro his qui ſubſunt:ut cæſus* Annibal. *Vel cũ autorem pro opere:ut* Terẽtius *ſemper in manibus habendus.*

Ἀντονομασία Antonomaſia, *ea eſt nominis permutatio, ut ſi quis pro* Achille Pelidem *dicat, pro* Iunone *Saturniam,quemadmodum* Verg. & Hora.

Ἐπίθετον Epitheton,*id eſt,appoſitum,quoties propriũ nomẽ adiecto aliquo quaſi ueſtitur : ut*, At pius Aeneas, *ſæuus* Hector,*formoſus* Alexis, *apud Poëtam.*

Συνεκδοχή Synecdoche, *quam Cicero intellectionem uocat, quoties ex uno plura intelligimus, ut* Romanus *prælio uictor*,pro Romani. *Ex parte totum, ut mucronem pro gladio:retroq́;:ut* Ingens à uertice pontus. *Ex ſpecie genus :* Iracundior Adria, *pro quouis mari dixit* Horatius.*Ex materia rem confectam, ut ferrum pro gladio.* Ex *præcedentibus ſequentia, ut* Virgineam *ſoluit zonam,id eſt,deuirginauit. Breuiter, cum aliud ex alio intelligitur, ut uixerunt pro mortui ſunt, exclamauit* Orator.

Ὀνοματοποιΐα Onomatopœia, *nominis confictio ſoni imitatione,*Clangorq́; *tubarum,* Vergilius. Tinnire,*balare, mugire, & reliqua quæ ſignificandi gratia pro tempore fingimus.*

Ἀλληγορία Allegoria, *quam inuerſionem interpretantur,cum aliud uerbis,aliud ſenſu oſtenditur, ac nonnunquam contrarium.*

Species nominantur hæ,
- Aenigma
- Paroœmia
- Ironia
- Sarcaſmus
- Aſtyſmus
- Mycteriſmus
- Antiphraſis
- Charientiſmus.

Ἄινιγμα Aenigma, obſcura quædam allegoria, magis uitium Quintiliano quàm uirtus, cum dilucide dicere uirtutis nomine cõmendetur. Hinc opinor motus Diomedes, & uitijs & uirtutibus connumerat. Cuius exemplum aptiſſimum extulit Heſiodus Georg. 1. πλέον ἥμισυ παντός. Quod Plato lib. de legibus tertio exponit multis uerbis. Quæ omnia huc tendũt, Satius eſſe ἀδικεῖσθαι quàm ἀδικεῖν. Hoc eſt, iniuriam pati quàm inferre.

Παροιμία Paroœmia, id eſt, adagium (definitore magno illo Eraſmo) dictum celebre aliqua nouitate inſigne: ut Lupus eſt in fabula. Terent. cum ſilendum moneat. An autem hæc finitio huic loco quadret, qui uelit ex Eraſmi Chiliadibus inquirat: Diomedes certe & Donatus allegoriæ ſpeciem faciunt.

Εἰρωνεία Ironia, Illuſio, quæ nõ ex uerbis, ſed uel pronuntiatione, uel perſona, uel rei natura intelligitur: ut Heus tu bone uir, curaſti probe. Terent. in And.

Σαρκασμὸς Sarcaſmus, iocus amarulentus, atq; hoſtilis deriſio: ut, En agros, & quam bello Troiane petiſti, Heſperiam metire iacens. Aeneid. 12.

Ἀστυσμὸς Aſtyſmus, urbanitas, orationis quaſi feſtiuitas

tas: ut, Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui, Atq; idem iungat uulpes, & mulgeat hircos. Verg.

Μυκτηρισμὸς *Myċteriſmus, ſimulatus riſus, ſed tamen non latens: quod Perſius Naſo ſuſpendere uocat.* μυκτὴρ *enim Græcis (autore Iulio Pollucc) naſum ſignificat.*

Ἀντίφρασις *Antiphraſis, unius uerbi ironia, ut bellum dicitur, quod minime bonum: & Hieronymus monachũ quendam Vigilantium* κατ' ἀντίφρασιν *uocitat.*

Χαριεντισμὸς *Charientiſmus, quo duriora re ipſa, gratioſis uerbis molliuntur. Terent. Bona uerba quæſo. cum piſtrinum deprecaretur Dauus, quod Plato de Rep. primo* εὐφημεῖν *dicit.*

Et hæ iam diċtæ, ſunt allegoriæ ſpecies.

Περίφρασις *Periphraſis, Latinè (tametſi inuito Fabio) circunlocutio, eſt fuſior & copioſior rei deſcriptio, aut ornãdæ rei gratia quæ pulchra eſt: ut, Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris Incipit, & dono diuûm gratiſsima ſerpit. Aenei. 2. Aut tegendæ gratia, quæ turpis: -Placidumq; petiuit Coniugis effuſus gremio per membra ſoporem.*

Ὑπέρβατον *Hyperbaton, tranſgreſsio quædam uerborum, ordinem communem perturbans.*

Cuius ſpecies, { *Anaſtrophe* / *Dialyſis* / *Diacope* / *Synchyſis* / *Hyſteronproteron.* }

Ἀναστροφὴ *Anaſtrophe, reuerſionẽ dixeris: eſt uerborũ tantum ordo præpoſterus, ut mecũ, ſecum: pro cũ me, &*

cum te. Italiam cõtra. pro, contra Italiã. apud Verg. in I.

Διάλυσις Dialyſis, ſiue παρένθεσις Parentheſis, *Ordinis diſſolutio per interpoſitam ſententiam: ut* Aeneas (*neq; enim patriam conſiſtere mentem Paſſus amor*) *rapidum ad naues præmittit Achaten.*

Διακοπή Diacope, ſiue τμῆσις Tmeſis, Diſſectio, *cum ſcilicet dictionis compoſitæ iunctura ſoluitur aliquo interpoſito: ut Septem ſubiecta trioni, cum Septentrioni dicendum fuiſſet.*

Σύγχυσις Synchyſis, Confuſio. *Eſt enim quoties ordo omni ex parte turbatur: Treis Notus abreptas in ſaxa latentia torquet, Saxa uocant Itali medijs quæ in fluctibus aras. Habet aũt ordo hoc modo autore Donato, Treis naues abreptas Notus torquet ĩ ſaxa, quæ Itali uocãt aras.*

Ὕστερον πρότερον Hyſteron proteron, ſiue ὑστερολογία Hyſterologia, *cum id quod ſecundo loco fit, priorem in orationis ordine poſsidet: Et torrere parant flãmis, & frangere ſaxo. Aeneid. I.*

Ὑπερβολή Hyperbole, *autore Fabio, demẽtiens eſt ſuperiectio, ut quæ fidem non mereatur, uel augendi gratia, ut Ocyor Euro uita noſtra, apud Horatium dicitur: Vel minuẽdi gratia, ut Teſtudine tardior. In quo tropo monet Quintilianus modum in primis ſeruare oportere, ne in* κακοζηλίαν *uitium ſuprà notatum nos inducat.*

Ἔμφασις Emphaſis, *Siue cum latens aliquid unà ſignificatur, ſiue expreſsior denotatio. Hæc cum multis fiat modis, hunc habet præcipuum, quoties fixum pro mobili ponitur, ut ſcelus pro ſceleſto.*

Ὁμοίωσις Homœoſis, *ignotæ rei per eius quæ magis*

nota

nota eſt ſimilitudinem expreſsio.

Cuius genera recenſentur, { Icon, Parabole, Paradigma.

Εἴκων Icon, Imago, cum quippiam ad imaginem alterius rei quaſi deſcribimus: ut Os humeroſq; Deo ſimilis. Hic enim ad Dei imaginem, Aeneam comparauit poëta.

Παραβολὴ Parabole, quam Cicero collationē interpretatur, ea eſt (inquit Donatus) rerum genere diſsimilium comparatio. Plato in Euthyphone: Iuuenū in primis rationem habere cōuenit (nam ſic trāſponimus) ut in optimos uiros adoleſcant, haud aliter, ac prudentem agricolam teneriuſculis plantis primam curam adhibere decet, deinceps uero & alias non negligere.

Παράδειγμα Paradigma, cum ex hiſtoria res aliqua narratur, qua uelut exemplo accendimur & ipſi huiuſmodi uel facere uel uitare. Cuius uſus tam eſt frequens cum apud poëtas tum apud oratores, ut minime opus uideatur exempla in medium afferre.

Quidam præter tropos etiam ad orationis uirtutes φράσιν pertinere putant, quam χρονογραφίᾳ, τοπογραφίᾳ, τοποθεσίᾳ, αἰτιολογίᾳ, ἐπανόδῳ, καταλόγῳ, συλλογισμῷ, ἀποστροφῇ, atq; id genus alijs conſtare putant, quæ nos finitionibus minime explicabimus: partim quòd propius ad orationis copiam attinere uideantur, partim quòd ipſa etymologia & prima (quod aiunt) fronte quid rerum ſint, præ ſe ferant: partim etiam, quòd noſtri inſtituti anguſtia nō ſinit Chryſippæum hunc aceruum explere.

FINIS.

A

Ablatiui figura 64
Accuſatiui figura ibi.
Acyron 107
Aduerbiorum qualitatis figura 66
Aenigma 90.115
Aeſchrologia 108
Aetiologia 23
Aganacteſis 49
Allegoria 89.115
Alloeoſis 14
Amphibologia 108
Anaclaſis 5
Anacoenoſis 49
Anadiploſis 38.58.75.102
Analogia 111
Anánceon 12
Anaphora 75.102
Anaſceue 69
Anaſtrophe 86.118
Antipophora 69.104
Antiphraſis 71.89.117
Antiſagoge 30
Antiſtaſis 62
Antiſtrophe 39
Antitheſis 59.100
Antimetabole 105
Antitheton 21.35
Antonomaſia 84.115
Aphaereſis 99
Aphoriſmos 50
Apocope 50
Appoſitio 106
Apodixis 50
Apophaſis 48
Apophoniſma 52
Apoplaneſis 50
Aporia 20.48
Apoſtrophe 28.62
Apoſiopeſis 27.104
Aria 51
Aſchematiſton 109
Aſtyſmos 46.91.116
Aſyntheton 61.79.104

B

Barbariſmus 109
Barbaralexis 110
Brachyepia 19

C

Cacemphaton 108
Cacoſyntheton 109
Cacozelon 109
Caſuum uarietas 64
Catachreſis 114
Charientiſmus 90.117
Chleuaſmos 46
Chreſteriſmos 17

 Chria

Chria 51
Climax 41.61.104
Cœnotes 7
Correptio 57
Cyrologia 112
Datiui figura 63
Deeſis 51
Deptologia 26
Diabole 51
Diacope 59.118
Dialogiſmus 52
Dialyſis 10.118
Dialyton 79
Dianœa 51.97
Diaphora 8
Diaporeſis 29
Diaſyrmos 30.47
Diatypoſis 30
Dicæologia 15
Diæreſis 62.99
Diazeugmenon 43
Diſiunctum 43
Duplicatio 59
Ecloga uerborum figura 66
Eclipſis 107
Ectaſis 99
Ecthlipſis 100
Ellipſis 44
Emphaſis 118
Endiadis 103
Energia 71
Enthymema 54
Epagoge 53
Epanadiploſis 59
Epanalepſis 8.54.76.102
Epanaphora 38.58
Epanodos 61
Epanorthoſis 60
Epentheſis 98
Epibole 5.43
Eplexis 52
Epiphonema 54
Epiphora 6
Epiploce 8
Epiſynalœphe 99
Epiſtrophe 60
Epitheton 84.115
Epitmeſis 52
Epitimeſis 69
Epitrochaſmos 28
Epitrope 23.53
Epizeuxis 76.102
Erotema 29
Ethologia 13
Ethopœia 27
Euche 54
Euocatio 106

Exuthe

Exuthenıſmos 47
Figuratio 71
Genitiui figura 63
Homœologia 107
Homœon 53
Homœoptoton 21.78.103
Homœoſis 52.93.119
Homœteleuton 21.77.103
Horiſmos 16
Hypallage 104
Hyperbole 56.89.118
Hypocriſis 70
Hyperbaton 86.117
Hypozeugma 102
Hypozeuxis 57.73
Hyſterologia, uel, Hyſteron proteron 86.118
Icon 53.93.119
Incluſio 59
Indignatio 49
Irmos 78.103
Ironia 28.34.46.70.89.116
Iſocolon 21.35
Iteratio 58
Lexeos 97
Ligatio 57
Meriſmos 11
Meſozeugma 101
Metabaſis 14.62
Metalepſis 82.114
Metanœa 10
Metaphora 80.113
Metaſtaſis 30.52
Metatheſis 59.100
Metonymia 82.114
Mycteriſmus 117
Numerorum figura 65
Omiſſio 71
Onomatopœia 85.115
Palilogia 37.58
Parabole 94.119
Paradiaſtole 4.62
Paradigma 94.119
Paradigmatos 52
Paradoxon 55
Paralepſis 28
Paraſiopeſis 20
Paragmenon 60
Parentheſis 11.59.86
Pariſon 35
Parœmia 90.116
Paromœon 20.77.103
Paromologia 12
Paronomaſia 4.76.103
Paronymia 36
Parrheſia 23.55
Parthopœia 55

Periergia 108
Periphraſis 85.117
Perſonarum figura 64
Ploce 60.56
Pleonaſmos 44.107
Polyptoton 7.40.78.103
Polyſyntheton 9.79.104
Præpoſitiõis Ad, figura 65
Præpoſitiõis In, figura ibi.
Procatalepſis 68
Procataſceue 68
Prodiorthoſis 26
Prolepſis 16.56.72.101.
105
Proparalepſis 98
Proſapodoſis 3.38
Proſopopœia 16.27.104
Proſtheſis 98
Protrope 55
Prozeugma 101
Prupergaſia 54
Pyſma 29
Qualitatis uerborum figura 65
Regreſsio 58
Relatum 38
Reſumptio 58
Sarcaſmos 47.70.91.
116
Schema quid, & quæ eius partes 97
Scheſis 69.77.103
Scomma 46
Solœciſmus 110
Solutum 43
Soraiſmos 109
Subiunctio 57
Syllepſis 57.74.102.105
Symploce 39
Synalœphe 99
Synathrœſmos 3
Synchyſis 87.118
Syncope 99
Syncriſis 56
Synecdoche 84.115
Synœcioſis 19
Synonymia 40
Syntheſis 112
Syntomia 111
Syſtole 99
Tapinoſis 108
Taſis 311
Tautologia 40
Taxis 24
Temporum figura per modos 66
Tmeſis 87
Tropus 112
Zeugma 57.73.101.105

FINIS.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

LEGATORIA DI LIBRI
DI
GIOVANNI CAVALLI
ROMA
Via Viminale N° 78